







JOANNIS GEORGII WENRICH

LITERATURAE BIBLICAE IN INSTITUTO THEOLOGICO AUGUST. ET HELVET. CONFESS. ADDICTOR. VINDOBONENSI PROFESSORIS C. R.

DE

POESEOS HEBRAICAE ATQUE ARABICAE

ORIGINE, INDOLE, MUTUOQUE CONSENSU ATQUE DISCRIMINE

COMMENTATIO

A

REGIA INSCRIPTIONUM LITERARUMQUE ELEGANTIORUM ACADEMIA, QUAE LUTETIAE PARISIORUM FLORET, PRAEMIO ORNATA.



اذا اعياكم تفسير آية من كتاب الله فاطلبوه في الشعر فانه ديوان العرب ۞

Quum vos fatigat interpretatio versiculi e libro Dei, quaerite eam in carminibus; haec enim sunt pandectae Arabum.

Mohammed.

LIPSIAE MDCCCXLIII

SUMTIBUS FR. CHR. GUIL. VOGELII.

Praefatio.

Regia inscriptionum literarumque elegantiorum Academia, quae Lutetiae Parisiorum floret, in eruditorum ephemeridibus (Journal des Savans) anni MDCCCXXXII quaestionem proposuerat:

„De comparer la poésie des anciens Hébreux „avec celle des Arabes, et de faire connoître, „en quoi elles se ressemblent, ou elles diffèrent, „soit par rapport aux figures du langage et aux „moyens artificiels, qu'elles emploient, soit par „rapport aux divers genres de poëmes usités „chez les deux nations.“

Quae quaestio cum ad ea pertineret studia, quae et pro officii nostri ratione praeprimis nobis sunt colenda, et

pro ingenii propensione in deliciis semper fuere, occasionem oblatam haud praetermittendam esse duximus, quin, quid valeant humeri, quid ferre recusent, in eâ solvendâ experiremur. Ut autem poëseos Hebraicae atque Arabicae consensus discrimenque ad liquidum perduci posset, quatuor prae ceteris momenta videbantur exploranda: utriusque nempe poëseos origo, argumentum, stylus, externa denique forma. Namque ad explicandum rerum cognatarum, cujus generis Hebraeorum Arabumque poësis, consensum atque discrimen requiritur praeprimis, ut, quo tempore, quibus causis, quibusve circumstantiis originem habuerint, dispiciatur. Quod etsi in re tam remotâ atque absconditâ, qualis poëseos, Hebraicae maxime, origo, difficillimum sit, haud tamen praetermitti omnino potest, nisi omnem disputationem fundamento suo privare velis. Expositâ, quantum quidem fieri potuit, utriusque poëseos origine, ad perspiciendum consensum dissensumque necessarium porro videbatur, quam potissimum materiam Hebraeorum Arabumque poëtae tractandam sibi sumserint, disquirere. Licet enim omnium populorum poësis ex uno eodemque fonte, vividiori nempe animi sensu atque adfectu, profluxerit, tamen pro sensuum aliarumque, quae ad poëtas pertinent, rerum diversitate, diversam

quoque materiam sibi tractandam poëtae sumserunt; unde diversa carminum genera enata, quorum alia quidem omnibus populis communia, alia vero aliis peculiaria sunt gentibus. Cujus rei documentum si quis requirat, populorum, quos Indo-Germanos adpellant, poësin cum Semiticarum gentium componat carminibus, invenietque, duplex carminum genus, idque praestantissimum, epicum atque dramaticum, a Semiticae originis populis alienum esse; quod tamen Indo-Germanis usitatissimum atque acceptissimum videmus. Ad explicandam porro quaestionem propositam, praeter utriusque poëseos originem atque argumentum, et sentiendi, cogitandi dicendique rationem, nec non externam carminum structuram considerandam esse, nemo est, qui infitiabitur. Unde factum est, ut omnis nostra disputatio in quatuor divisa sit partes: prima de origine causisque poëseos apud Hebraeos Arabesque agit; altera argumentum diversaque carminum Hebraicorum atque Arabicorum genera considerat; tertia carminum Hebraicorum atque Arabicorum stylum; quarta denique eorundem externam exponit formam. Singula quaeque pars tribus absolvitur capitibus; quorum primum poëseos Hebraicae, alterum Arabicae enarrat proprietates; quas deinde tertium componit, ita ut utriusque poëseos et

consensus et discrimen palam inde evadat. Digestâ in hunc modum disputationis materiâ, id praeprimis spectavimus, ut, quae de Hebraeorum Arabumque poësi statuimus, idoneis illustraremus exemplis. Quare tum ex Veteris Testamenti libris poëticis atque propheticis, tum ex probatissimis Arabum poëtis, Amrulkaiso, Amruo ben Kelthum, Antarâ, Haretho, Lebido, Tarafâ, Zohairo, Kaabo ben Zohair, Diwano Hodsailitarum, Hamasâ Abi Temmam, Bohterii Hamasâ, Mohammede ebn Doreid, Motanabbio, Abulalâ, Tograio, Haririo, Omaro ebn Faredh, Busirio, Ahmede ebn Arabschah aliisque, haud exiguam exemplorum copiam collegimus, quae anthologiae poëticae vicem supplere possit. Hujus lucubrationis exemplum Regiae inscriptionum literarumque elegantiorum Academiae, quae Lutetiae Parisiorum floret, examini subjecimus non sine reverentiâ; quippe qui illorum virorum exspectabamus censuram, qui in literis orientalibus, maxime vero Arabicis, primas tenere partes merito existimabantur. Quod modeste in votis habebamus, ne scilicet tantorum virorum destitueremur suffragio, feliciter evenit; namque honorifice opusculum nostrum exceptum, dignumque judicatum fuit, quod praemio proposito ornaretur. Quae res tanto gratior nobis fuit, quanto majori in aestimatione viros illos

habebamus, quibus de lucubratione nostrâ sententia ferenda erat.

Ceterum ubi lucubrationem hancce publici juris facimus, haud silentio possumus praeterire, primum ejus caput, quod de origine et causis poëseos Hebraicae tractat, novam ex parte induisse formam, diversam ab illâ, quam autographum nostrum, Regiae inscriptionum Academiae transmissum, exhibebat. Namque illic de Pentateuchi origine artisque scribendi apud Hebraeos initiis disputavimus; in quâ disputatione iis in universum innixi sumus fundamentis, quae jam a Vatero in Commentario in Pentateuchum jacta fuerant, quaeque inpraesentiarum quam plurimis Germaniae theologis probantur. Neque tamen placita nostra de Pentateuchi origine doctissimis lucubrationis nostrae arbitris adrisisse videntur. Namque cum opusculum nostrum praemio ornandum censerent, monebant simul, sese in faciendo judicio placitorum illorum nullam habuisse rationem. Quod tantorum virorum judicium nos induxit, ut, quae de Pentateuchi origine artisque scribendi apud Hebraeos initiis disputaveramus, in edendo libello supprimeremus, inque illorum locum disquisitionem de aetate Jobi carminumque nonnullorum, in Geneseos libro obviorum, substitueremus. Quâ mutatione nihil in rei summâ mu-

tatum est; namque ad eundem disputationis exitum delati sumus: poëseos nempe Hebraicae originem vix altius, quam a Mosis aetate, esse repetendam.

Quod reliquum est, viro doctissimo atque officiosissimo, Henrico Orthobio Fleischer, linguarum orientalium in Academiâ Lipsiensi professori, impensissimas referimus grates; ejus namque beneficio effectum est, ut libellus noster, in Hebraicis maxime Arabicisque locis, quam emendatissime e prelo prodiverit.

Vindobonae, mense Martio a. MDCCCXLIII.

De

Poëseos Hebraicae atque Arabicae

Origine, indole, mutuoque consensu atque discrimine

Commentatio.

Pars I.

De origine et causis poëseos apud Hebraeos Arabesque.

Cap. I.

De origine et causis poëseos Hebraicae.

§. I.

Poëseos Hebraicae originem ad antiquissima tempora recedere, nemo est, qui eat infitias. Namque si verum est, sacros Hebraeorum libros, quos Veteris Testamenti complectitur codex, antiquissimis humani ingenii monumentis esse adnumerandos; si verum est, prima cujusvis populi conamina literaria poëticis contineri lusibus: nemo profecto negabit, poëseos Hebraicae originem a remotissimis temporibus esse repetendam. Quae cum ita sint, insigniter tamen alucinati sunt viri docti in definiendo tempore, quo Hebraeorum poësis omnisque in universum populi illius res literaria originem habuerit. Namque fuere, qui rei literariae, imo conscribendorum librorum apud Hebraeos initia vel ad *Abrahamum*, gentis Hebraicae conditorem, referrent [1]). Alii, etsi haud ad *Abrahamum* usque recederent, tamen aliquot seculis ante *Mosis* aetatem rem Hebraeorum literariam, proinde et poësin initium sumsisse contenderunt [2]). Quae eorum maxime est

---

1) Imman. Bergeri introductio practica in Vet. Testam. Partis I p. 6, sequ.

2) Leonardi Bertholdti introductio histor. crit. in Vet. Novique Testam. libros, P. III, p. 837; conf. P. I, p. 5.

sententia, qui absolutissimum illud poëseos Hebraicae specimen, librum *Jobi*, jam ante *Mosem* compositum fuisse opinati sunt. Quae opinio cum ad definiendam poëseos Hebraicae originem haud parum faciat; doctissimorum praeterea virorum, *Carpzovii*, *Lowthii*, *H. A. Schultensii*, *Eichhornii*, *Stuhlmanni*, *Bertholdti* aliorumque commendetur auctoritate [3]), operae pretium videtur, potiora, quibus opinio illa fulcitur, argumenta in examen vocare.

§. II.

Librum *Jobi* ante *Mosis* aetatem fuisse compositum, his maxime argumentis opinionis illius auctores atque patroni evincere conantur:

I) In *Jobi* libro omnia summam redolent antiquitatem; namque familiarum patres pro antiquissimorum temporum more ipsi sacra faciunt, neque sacerdotum ordo, qui inde a *Mosis* aetate inter Hebraeos obtinuit, libri auctori cognitus fuisse videtur. Memorantur quidem cap. XII, v. 19 כהנים, quod tamen vocabulum eo loco non *sacerdotes*, verum ad instar sequentis איתנים, *potentes*, *optimates* significat. Accedit, quod senioribus quam maximus habeatur honos, iis solis sapientia falli nescia tribuatur, et ad eorum sententiam res dubiae atque controversae componantur; quum contra inde a *Mosis* aetate lex divina omnis sapientiae fons, omnisque controversiae arbiter

3) Carpzovii introductio ad libros canon. Vet. Testam. edit. II, P. II, p. 45. Lowthii de sacrâ Hebraeorum poësi praelectiones, ex edit. J. D. Michaelis, P. II, p. 650. Liber Jobi ex versione H. A. Schultensii, edit. Germ. p. 3 sequ. Eichhornii introd. in Vet. Testam. edit. III, t. III, p. 570 sequ. Stuhlmanni introd. in librum Jobi, praemissa ejusdem auctoris versioni Germanicae Jobi, p. 50 sequ. Bertholdti introd. hist. crit. in libros Vet. Novique Testam. P. V, p. 2132 sequ.

existimaretur. Denique et numen divinum in gravioribus rerum momentis hominibus adparere putatur; quae opinio post *Mosem* vix apud Hebraeos deprehenditur, quibus quippe temporibus numinis divini loco angeli adparere putabantur. Haud quidem negari potest, et in prophetarum libris psalmisque numinis divini adparitionem interdum memorari, quae tamen res, secus atque in *Jobi* libro, nonnisi ad poëticam fictionem referenda [4]).

II) In *Jobi* libro neque populi Hebraici historia, neque leges Mosaicae usquam respiciuntur. Nulla illic mentio celebratissimorum populi Hebraici majorum, *Abrahami*, *Isaci* atque *Jacobi;* nihil de ejusdem populi migratione ex Aegypto, transitu per mare Erythraeum, bellis, cum Cananaeis aliisque populis gestis, inque exilium ejectione; nihil de *Hierosolymis*, *Zione*, templo caerimoniisque Leviticis. Imo nec ipsum numinis divini nomen יְהוָה, quod inde a *Mosis* aetate prae ceteris Dei nominibus apud Hebraeos invaluit, *Jobi* auctori cognitum fuisse videtur. Namque etsi saepissime numinis divini mentio injiciatur, Jovae tamen nomen, praeter carminis prologum et epilogum, qui seriori tempore adjecti sunt, nusquam occurrit, nisi cap. XII, v. 9, et in sermonum, qui Deo tribuuntur, inscriptionibus. At vero in priori illo loco perperam יְהוָה pro אֱלוֹהַּ legitur; et quod ad inscriptiones memoratas adtinet, perquam verisimile est, illas seriori tempore adjectas fuisse [5]).

III) Ipsum quoque dicendi genus, quod in *Jobi* libro deprehenditur, documento est, librum illum ante *Mosis* aetatem compositum fuisse. Namque quam plurima vocabula eâ occurrunt

---

4) Eichhornii introd. in Vet. Testam. t. III, p. 575. Bertholdti introd. P. V, p. 2132, 2140.

5) Eichhornii introd. in Vet. Testam. t. III, p. 569, 575. Stuhlmanni introd. in librum Jobi, p. 47, 48. Bertholdti introd. P. V, p. 2133.

significatione, quae vel ante *Mosem*, vel ipsâ *Mosis* aetate obtinuisse, postea vero ex hominum usu evanuisse videtur. Huc referas pronomen 3 pers. הוא, quod cap. XXXI, v. 11, loco feminini היא adhibetur; qui loquendi usus, praeter Pentateuchum, nusquam alias in Veteri Testamento reperitur. Adde verbum צָדַק, quod in *Jobi* libro probum, integrum, insontem esse, justam causam habere significat; quam significationem nonnisi locus 1 Mos. cap. XXXVIII, 26, refert, serioris autem aevi scriptores paululum immutarunt. Haud aliter et de vocabulis מֶלֶךְ cap. XVIII, 14 [6]), et עלום cap. XX, 11, statuendum. Namque vocabulum מלך inde a *Davidis* aetate nonnisi regem denotat; at vero loco citato non regem, sed ducem significat; unde efficitur, *Jobi* librum iis temporibus fuisse conscriptum, quibus Hebraei neque regibus subjecti essent, neque omnino regiae dignitatis notionem tenerent; quae tempora procul dubio judicum Hebraicorum transcendunt aetatem. Quod ad vocabulum עלום adtinet, praeter locum laudatum nuspiam singulari numero occurrit; unde conjicias, hunc loquendi usum ad antiquissima recedere tempora. Haud quidem desunt, qui ex Masoretharum sententia pro singulari עלומו pluralem עלומיו legendum praecipiant, quae tamen lectio receptâ deterior censenda. Namque ex criticorum sententiâ lectio difficilior minusque usitata faciliori atque usitatiori, ceteris paribus,

---

6) In Bertholdti introd. P. V, p. 2134, Jobi cap. XV, 14, citatur. At vero eo loco vocabulum מֶלֶךְ non habetur. Quare putarim, Bertholdtum cap. XVIII, 14, respexisse, quo in loco omnino vocabulum illud occurrit. Notandum in universum, diligentissimum illum alioquin auctorem in citandis locis biblicis minus diligenter versatum fuisse. Namque et in iis, quae sequenti pagina, 2135, citantur locis biblicis, Jobi XIII, 19, Genes. XIII, 18, erratum; siquidem Jobi XII, 19, et Genes. XIV, 18, legendum.

anteponenda; accedit, quod et verbum singulare חשכב singularem nominis numerum requirere videatur [7]).

§. III.

His fere nituntur argumentis, qui *Jobi* librum jam ante *Mosis* aetatem compositum fuisse contendunt. At vero argumenta illa facili negotio infringi posse videntur. Namque merito opponas:

I) Quod si re vera in *Jobi* libro antiquissima depicta sint tempora, vix tamen inde sequitur, auctorem libri antiquissimis illis vixisse temporibus. Namque et serioris aevi scriptor priscorum temporum mores depingere potuit, imo debuit, si libri materia e priscis illis temporibus repetita esset. Sed negamus, in *Jobi* libro omnia summam redolere antiquitatem. Licet enim *Jobus*, patris familiae personam sustinens, pro temporum antiquissimorum more ipse sacra faciat, tamen perperam sumitur, libri auctori sacerdotum ordinem haud fuisse cognitum. Etenim qui cap. XII, 19, memorantur כהנים non *potentes*, *magnates*, verum *sacerdotes* denotant. Provocant quidem, qui priorem tuentur significationem, ad vocabulum איתנים, quod praecedenti כהנים in altero hemistichio respondet, dubioque procul *potentes* significat. At vero ex parallelismi legibus non ejusdem plane notionis requiritur repetitio; sufficit, si cognatae similesque notiones sibi respondeant. Jam vero *sacerdotum potentum*que notiones cognatas esse, nemo negabit, qui meminerit, quantum sacerdotes apud Hebraeos polluerint. Quare in loco laudato *sacerdotes* optime respondent *potentibus*, neque ulla adest ratio, cur a vulgari vocabuli כהן significatione discedendum sit. Accedit, quod nullus in universum in Veteri Testamento habeatur locus, qui arguat, vocabulo illi, praeter *sacerdotis* significationem, et *po-*

---

7) Bertholdti introd. P. V, p. 2134 — 2140.

tentis, sive *principis* inesse notionem. Licet enim et Chronicorum auctor locum 2 Sam. VIII, 18, ובני דוד כהנים היו, *et filii Davidis erant* כהנים, in loco parallelo 1 Chron. XVIII, 17, interpretatus sit ובני דויד הראשנים ליד המלך, *et filii Davidis erant principes ad manum regis*, tamen et inde non efficitur, vocabulum כהנים eo loco principes denotare. Poterant enim *Davidis* filii et sacerdotum (domesticorum fortasse) munere fungi, et principes a regis latere esse; sed Chronicorum auctor de munere sacerdotali silet, quod non Levitici fuissent sacerdotes, proinde et sacerdotum munus haud legitime administrasse viderentur. Haud aliter etiam de ceteris statuendum locis, in quibus pro vulgari sacerdotis significatione principis notionem cum vocabulo כהן conjungendam esse nonnulli existimarunt. Neque ex cognatis cum sermone Hebraica dialectis principis notio vocabulo כהן vindicari tuto potest. Provocant quidem ad Arabicum كاهن, cui *ministri* tribuunt significationem; unde *ministri regii principis*ve notionem ad Hebraicum כהן transferri posse existimant. At vero licet Arabicum كاهن inter cetera etiam illum denotet, qui negotium alienum curat, tamen nusquam ministri regii sive principis obtinet significationem; perperam igitur ea significatio ex Arabum loquendi usu ad Hebraicum כהן transfertur. En quae *Firuzabadi*, luculentissimus ille linguae Arabicae interpres, in *Kamuso*, edit. Calcutt. t. II, p. 1799, ad vocem كهن, كاهن, disputat:
كهن له كمنع ونصر وكرم كهانة بالفتح وتكهّن تكهّنا قضى له بالغيب
فهو كاهِن جمع كهنة وكهّان وحرفته الكهانة بالكسر والكاهن من يقوم
بامر الرجل ويسعى فى حاجته والمكاهنة المحاباة والكاهنان حيّان i. e. كَهَنَ
cc. ل p. fut. A et O, sicuti مَنَعَ et نَصَرَ, et mediâ Dhammâ, sicuti كَرُمَ, Nomen actionis كَهَانَةٌ cum Fatha. Conj. V. تَكَهَّنَ nom. act. تَكَهُّنًا, praedixit illi occultum; quod qui facit, dicitur كَاهِنٌ, plur. كَهَنَةٌ et كُهَّانٌ, ejusque ars كِهَانَةٌ, cum Kasrâ. كَاهِنٌ etiam is, qui

curat negotium alicujus, operamque navat ejus necessitati. مُكَاهَنَةٌ idem quod مُحَابَاةٌ prosopolepsia, et كَاهِنَانِ idem quod حَيَّانِ duae familiae. — Neque in iis, quae *Dschauhari* ad vocem كَاهِن disputat, ministri regii, sive principis ulla injicitur mentio. Ejus verba in hunc modum audiunt: كهن الكاهن معروف والجمع الكهّان والكهنة يقال كهن كهانة مثل كتب يكتب كتابة اذا تكهّن واذا اردت انّه صار كاهنا قلت كهن بالضمّ يكهن كهانة بالفتح والكاهنان حيّان 8).

Quod porro adseritur, in *Jobi* libro senioribus summum haberi honorem, iis solis sapientiam falli nesciam tribui, eorumque ad sententiam res controversas componi 9), nequaquam argumento esse potest, *Jobi* librum ante *Mosis* tempora compositum fuisse. Namque senioribus omni tempore honos suus habitus, omnî tempore sapientia tributa fuit, semperque eorum sententia in dijudicandis rebus controversis plurimum valuit. Neque tamen et in *Jobi* libro sapientia falli nescia iis tribuitur; contra interdum etiam sapientiae expertes dicuntur, ut videre est cap. XXXII, v. 7—9, ubi haec leguntur:

אמרתי ימים ידברו
ורב שנים ידיעו חכמה:
אכן רוח היא באנוש
ונשמת שדי תבינם:

---

8) Cod. Mscr. biblioth. Palat. Vindob. nro. 4, p. 263.

9) Notandum, in locis ab Eichhornio et Bertholdto citatis, cap. IV, 8, V, 3, 27, XIII, 26, nil de seniorum dignitate atque sapientiâ haberi; quinimo in loco XXXII, 6, 7, (perperam Bertholdtus XXXIII, 6, 7,) si nexus cum sequentibus verss. respiciatur, plane contrarium doceri, sapientiam nempe non semper cum senio esse conjunctam.

לא רבים יתכמו
וזקנים יבינו משפט:

Dixi: dies loquentur,
Et multitudo annorum exhibebit sapientiam;
At vero spiritus in homine,
Et adflatus omnipotentis intelligentes reddit.
Non grandaevi sapiunt,
Neque senes intelligunt justum.

Quo in loco sapientia non iis, qui multorum annorum experientiâ exercitati sunt, verum iis, quibus numinis divini adflatus contigit, tribuitur; quae sententia legis Mosaicae indoli convenientissima est. Quod vero *Jobi* amici ad seniorum potius experientiam, quam ad legis Mosaicae praecepta provocantes inducuntur, ejus rei causa in eo posita videtur, ut disceptantibus amplior disputandi campus aperiretur. Namque si *Jobi* amici illius placita legis Mosaicae praeceptis impugnassent, omnis contradicendi materia illi praecidebatur, quod tamen ab auctoris consilio alienissimum erat.

Quod denique contendunt, numinis divini adparitionem, in *Jobi* libro obviam, non ad poëticam fictionem, verum ad priscorum hominum sentiendi cogitandique rationem esse referendam, vix idoneo aliquo argumento comprobari posse videtur. Namque cum ii ipsi, qui *Jobi* librum ante *Mosem* compositum existimant, libri illius argumentum non ex rerum gestarum memoriâ petitum, verum ab auctore fictum esse contendant, quid inde sequitur, nisi quod et numinis divini adparitio ad poëticam fictionem sit referenda.

II) Quod si concedatur, neque populi Hebraici historiam, neque legem Mosaicam in *Jobi* libro respici, nequaquam tamen inde efficitur, neque illam, neque hanc libri auctori cognitam fuisse. Potuit enim consulto utramque auctor praetermittere; idque eo magis, quo altiori liberiorique in universum fertur spi-

ritu. Verum enim vero haud desunt loci, in quibus vel populi Hebraici historia, vel lex Mosaica respici videtur. Namque cap. IX, 24, terra in improborum potestatem tradita, judicumque facies cooperta dicitur, ne scilicet scelera commissa videre atque punire possint; cap. XII, 17, 19, consiliarii atque sacerdotes captivi abducuntur; cap. XXIV, 2 sequ. agrorum termini dimoventur, greges rapiuntur, inopes depelluntur; qui loci omnino miseram sortem, quae populo Hebraico serioribus obtigit temporibus, respicere videntur. Accedit, quod cap. VI, 10; XXIII, 12, *Jobus* praedicet, nunquam se abnuisse *verba sanctissimi*, אמרי קדוש, neque declinasse a *praecepto labiorum ejus*, מצות שפתיו; contra placitis suis anteposuisse *effata oris illius* (Dei) אמרי פיו; quibus in locis *verba sanctissimi* et *praecepta labiorum ejus* nequaquam, sicuti *Bertholdtus* contendit [10]), insitam homini a naturâ religionem, verum legem divinam, per *Mosem* et, qui illum secuti sunt, prophetas populo Hebraico promulgatam, denotant.

Quod vero adserunt, nec ipsum numinis divini nomen יהוה, quod inde a *Mosis* aetate prae ceteris Dei nominibus apud Hebraeos invaluerit, *Jobi* auctori cognitum fuisse, vix ullo probabili nititur argumento. Namque in carminis prologo atque epilogo nomen illud saepius omnino occurrit; perperamque statuitur, prologum atque epilogum non a *Jobi* auctore profectos, verum seriori tempore adjectos fuisse. Etenim, ut *Rosenmülleri* utamur verbis [11]), „opus ex omni parte imperfectum habes, meros sermones, quorum causam, rationem et finem ignoras, exordium et clausulam si demas.“ Quod vero in ipso carmine, cap. III — XLII, 6, nomen יהוה rarissime occurrat, ejusque loco tantum non semper אל, אלוה adhibeantur, ejus rei causa in eo posita

---

10) Introd. t. V, p. 2141, not. 3.

11) Scholia in Jobum, edit. II, p. 46.

videtur, quod libri auctor orationi poëticae, quae in ipso carmine regnat, nomina אל, אלוה, orationi autem pedestri, quae in prologo atque epilogo habetur, nomen יהוה convenire magis existimaret. Neque is vocabulorum illorum usus *Jobi* tantum libro peculiaris; quinimo in universum statuendum, nomen יהוה, quamvis et in libris poëticis saepius occurrat, pedestri tamen magis orationi proprium esse; contra vocabula אל, אלוה, a poëtis maxime usurpari [12]).

III) Quod in *Jobi* libro obtinet dicendi genus a vulgari quidem sermone recedit, neque tamen inde conjicias, librum illum ante *Mosis* aetatem compositum fuisse. In omnibus linguis oratio poëtica a vulgari pedestrique sermone recedit; in eundem modum et poëticum dicendi genus, quod in *Jobi* libro regnat, a pedestri librorum historicorum sermone declinat. Perperam autem sumitur, quam plurima in *Jobi* libro occurrere vocabula eâ significatione, quae vel ante *Mosem*, vel *Mosis* aetate obtinuerit, postea vero ex hominum usu evanuerit. Namque quod exempli causâ adferunt pronomen 3 pers. masc. הוא, *Jobi* cap. XXXI, 11, feminini loco adhibitum, archaismum quidem videtur redolere; sed nemini non notissimum, etiam serioris aevi poëtas ad exornandam orationem haud raro antiquis obsoletisque uti vocabulis. Accedit, quod pronomen illud eodem modo et I Regg. cap. XVII, 15; Jes. XXX, 33, adhibeatur; neque tamen inde quis conjiciat, priorem *Regum* librum, vel *Jesaiae* vaticinia ante *Mosis* aetatem conscripta fuisse. Perperam porro adseritur, verbum צָדַק nonnisi in *Jobi* libro Geneseosque cap. XXXVIII, 26, significatione probum, integrum, insontem esse, usurpari, eamque significationem seriori aevo paululum fuisse immutatam.

---

12) De diverso vocabulorum יהוה, אל, אלוה, אלהים, usu videndus Gesenii thesaurus linguae Hebr. et Chald. tomi I fasc. I, p. 48 B; 95 A; 97 B; tomi II fasc. I, p. 578, 579.

Namque Psalmo CXLIII, 2, eadem vocabuli צָדַק occurrit significatio in hocce hemistichio: כי לא יצדק לפניך כל חי, i. e. vix erit *justus*, s. *insons*, in conspectu tuo ullus viventium; quem equidem Psalmum, etsi vulgo ad *Davidem* auctorem referatur, cum *Jarchio* exilii Babylonici temporibus adscribendum censuerim. Haud solidiori nituntur fundamento, quae de vocabulorum מֶלֶךְ et עלום in libro *Jobi* usu statuuntur. Non enim videmus, quam ob causam cap. XVIII, 14, in verbis תצעידהו למלך בלהות, pro vulgari *regis* significatione inusitata *ducis* notio substituenda sit. Namque sive, Chaldaeum interpretem secutus, vocabulum למלך cum sequenti בלהות conjungas, sive ex *Schultensii Gesenii*que sententiâ בלהות ad תצעידהו referendum, et למלך pro כמלך accipiendum sit, semper tamen *regis* significatio quadrat. Quod denique ad vocabulum עלום adtinet, cujus singularis עלומו, cap. XX, 11, archaismum redolere dicitur, notandum, lectionem עלומו incertam esse; siquidem Masorethae pluralem עלומיו legendum esse praecipiunt. Sed concedamus, lectionem receptam esse genuinam, nequaquam tamen inde sequitur, singularem vocabuli illius numerum archaismis esse adnumerandum. Etenim cum vocabulum illud, praeter locum laudatum, neque in antiquioribus, neque recentioribus Veteris Testamenti libris numero singulari occurrat, quo, quaeso, indicio dijudices, utrum singularis ille numerus ad antiquiorem, an recentiorem loquendi usum sit referendus. Quare, si lectio recepta עלומו genuina habeatur, rectius idiotismis, quam archaismis adnumerabitur.

§. IV.

Ex iis, quae hactenus disputavimus, adparebit, ni fallimur, quam infirmis nitantur argumentis, qui *Jobi* librum ante *Mosis* aetatem conscriptum fuisse contendunt. Alii, etsi libri originem non ab antiquissimis illis temporibus repeterent, tamen ad *Mosis* usque tempora adscenderunt, imo *Mosem* ipsum *Jobi* auctorem

existimarunt. Quam sententiam quam plurimi Judaeorum, antiquiorum et recentiorum, tuiti sunt. Jam in tractatu Talmudico, qui *Bava Bathra* inscribitur, sect. I, p. 15, legimus: משה כתב ספרו ופרשת בלעם ואיוב, i. e. Moses scripsit librum suum, sectionem Bileam atque Jobum. In eandem sententiam transiverunt *Aben Esra* [13]), *Levi ben Gerschom* [14]), *Asarias Edomaeus* [15]), *Abraham Zakut* [16]), *Menasse ben Israel* [17]) aliique. Neque defuere inter patres ecclesiasticos, qui *Jobi* librum ad *Mosem* auctorem referrent. Maxime vero in ecclesiâ Syriacâ opinio haec invaluisse videtur; id quod inscriptio docet, Syriacae *Jobi* versioni in quibusdam codicibus praemissa, quae in hunc modum audit: ܟܬܒܐ ܕܐܝܘܒ ܙܕܝܩܐ ܠܡܘܫܐ ܢܒܝܐ ܡܬܟܬܒ ܘܠܐ ܫܘܬܦܗ ܒܟܬܒܘܗܝ ܡܛܠ ܕܡܢ ܥܡܡܐ ܐܝܬܘܗܝ ܘܠܘ ܡܢ ܒܢܝ ܝܥܩܘܒ i. e. liber *Jobi* justi a *Mose* prophetâ conscriptus est; neque tamen illum cum libris suis conjunxit, quia ex gentilibus fuit *(Jobus)*, et non e filiis *Jacobi* [18]). Haud aliter et *Ephraem Syrus Jacobus*que *Edessenus* [19]) de *Jobi* auctore sentiunt. Operae pretium videtur, quae ab *Ephraemo* in hanc rem disputantur, ipsius in medium proferre verbis: ܟܬܒܐ ܕܐܝܘܒ ܡܘܫܐ ܐܟܬܒܗ ܕܡܛܠ ܚܢܢ ܕܬܠܝܬܐ ܐܡܝܢ ܕܡܫܠܡܗ ܕܐܝܘܒ ܘܕܪܚܡܬܗܘܢ ܕܟܠܐ ܢܗܝܪܗ ܕܟܠܝܢ ܘܫܡܥ ܐܝܟ ܕܟܬܒܗܘܢܐ ܕܡܫܡܥܢܘܬܗ ܒܗܝ ܕܐܡܪ ܗܘܐ ܡܢ ܕܝܢ ܟܬܒܐ ܕܢܬܠܒܟܘܢ ܡܠܟܐ. i. e. *Jobi* librum *Moses* scripsit;

13) Commentar. in Jobum in Bibliis Rabbinicis Buxtorf. tom. IV, f. 805.
14) Commentar. in Jobum in Bibliis Rabbinicis Buxtorf. t. IV, f. 803.
15) מאור עינים, i. e. lumen oculorum, l. III, c. 42, p. 135, b.
16) ספר יוחסין, i. e. liber stemmatum, f. 9, b.
17) De resurrectione mortuorum, p. 123.
18) Variae lectiones Syriacae Vet. Testam. in Appendice ad Biblia Polyglotta Londin. p. 25.
19) Commentar. in Jobum, in Assemanii Biblioth. Orient. t. I, p. 488.

verisimile tamen est, eum *Jobi* amicorumque ejus de illius tentatione sermones literis consignatos invenisse. Eos autem scriptis mandatos, et instar monumenti patientiae ejus conditos fuisse, inde conjicias, quod dixerit: Quis efficiet, ut verba mea literis consignentur [20]. „Fuere etiam inter ecclesiae Graecae patres, qui *Jobi* librum a *Mose* conscriptum fuisse existimarent. Quorum e numero unum *Polychronium* nominasse sufficiat; qui in prooemio Catenae in *Jobum* in hunc modum dissérit: *εἰκὸς οὖν, ὅτι καὶ Μωσῆς συνεγράψατο τὸ βιβλίον εἰς παραίνεσιν τοῦ Ἰσραήλ, ὡς καὶ ἀπὸ τοῦ χαρακτῆρός ἐστιν ἐπιβαλεῖν*, i. e. verisimile igitur, *Mosem* librum *(Jobi)* conscripsisse ad exhortationem populi Israëlitici, sicuti etiam ex ejus charactere intelligi potest.“ E recentioribus, praeter *Huetium* [21], maxime *J. D. Michaelis* [22] *Jobi* librum *Mosi* vindicare conatus est; quam sententiam etiam *Jahn* proxime ad veritatem accedere contendit [23].

§. V.

Quod si ex auctorum laudatorum sententiâ *Jobi* liber ad *Mosem* auctorem referendus esset, poëseos Hebraicae originem altius adhuc repetendam esse nemo non videt. Etenim cum *Jobi* liber absolutissimum poëseos Hebraicae sit specimen, haud pauca tentamina poëtica praecesserint necesse est, donec ad illum perfectionis gradum, qui in *Jobi* libro conspicitur, Hebraeorum poësis perveniret. Verum enim vero quemadmodum negavimus, *Jobi* librum *Mose* esse antiquiorem, ita etiam negandum esse

---

20) Ephraemi Syri opera Syriaca, t. II, p. 1.

21) Demonstr. Evangel. Propos. IV, de Jobo, §. II, p. 221 edit. III. Paris.

22) In epimetro ad Lowthii de sacrâ Hebraeor. poësi praelect. XXXII, p. 674 — 683. Introd. in Veteris Testam. libros, Partis I sect. 1, p. 72 — 92.

23) Introd. in Vet. Testam. libros, P. II, p. 802 — 812.

censemus, librum illum a *Mose*, vel aequali aliquo illorum temporum scriptore profectum esse. Sed aequum videtur, ut argumenta, quibus *Jobi* liber *Mosi* vindicatur, recenseamus atque refellamus. Sunt autem haec fere:

I) In *Jobi* libro magna rerum Aegyptiacarum atque Arabicarum scientia conspicitur. Jam vero *Moses* in Aegypto natus atque educatus fuit; postea in Arabiam recessit, ibique haud exiguum temporis spatium commoratus est. Unde efficitur, tantam eum rerum Aegyptiacarum atque Arabicarum scientiam sibi comparasse, quanta ad conscribendum *Jobi* librum requirebatur.

II) Praeter Aegypti Arabiaeque cognitionem, multarum adhuc rerum, tum naturalium, tum arte effectarum scientia in *Jobi* libro deprehenditur, quarum rerum scientia optimo jure ad *Mosem* refertur, quippe qui, in regiâ Aegypti aulâ educatus, omni Aegyptiorum sapientiâ imbutus fuit.

III) In *Jobi* libro nulla legum Mosaicarum mentio, nil de mirabili populi Israelitici ex Aegypto migratione atque itinere per Arabiae deserta, nil de terrâ Cananaeâ rebusque ab Hebraeis illic gestis. Inde conjicias, librum illum ante populi Israëlitici ex Aegypto migrationem conscriptum fuisse. Quod si ita se habet, vix quisquam alius, praeter *Mosem*, *Jobi* auctor existimandus; qui illo probabiliter tempore, quo, ex Aegypto profugus, in Midianitarum terrâ degebat, *Jobi* librum conscripsit.

Quae argumenta quam parum sint probabilia, ex sequentibus elucebit:

I) Etsi concedamus, *Mosem* eâ rerum Aegyptiacarum atque Arabicarum instructum fuisse scientiâ, quae ad conscribendum *Jobi* librum requirebatur, tamen inde nequaquam efficitur, librum illum a *Mose* compositum fuisse. Namque et post *Mosem* Hebraeorum aliquis in Aegypto atque Arabiâ versari potuit, eamque rerum, in terris illis obviarum, cognitionem sibi comparare, quae in *Jobi* libro conspicitur.

II) Haud aliter etiam de ceterarum rerum, tum naturalium, tum artificiosarum notitiâ, in *Jobi* libro conspicuâ, statuendum. Quis, quaeso, adeo erit inconsideratus, ut ausit adfirmare, neminem Hebraeorum, praeter *Mosem*, illarum rerum cognitione imbutum fuisse.

III) Si verum est, quod contendunt, nullam in *Jobi* libro legum Mosaicarum injici mentionem, nil de populi Israëlitici ex Aegypto migratione, nil de Hebraeorum rebus in terrâ Cananaeâ gestis reperiri, vix tamen inde sequitur, librum illum ante populi Hebraici ex Aegypto migrationem conscriptum fuisse. Namque et serioris aevi auctor res illas silentio potuit praeterire; vel quod occasio eas commemorandi deesset, vel aliâ quâdam de causâ. At vero jam superius (§. 3, II.) monitum fuit, et leges Mosaicas, et populi Hebraici historiam, sed seriorum temporum, in *Jobi* libro respici; quare nequaquam ante populi Israëlitici ex Aegypto migrationem, proinde neque in secessu Midianitico liber ille a *Mose* conscribi potuit.

Vides, quam infirmis nitantur argumentis, qui *Jobi* librum ad *Mosem* auctorem referre conantur. Neque ea sententia ullo antiquitatis Hebraicae confirmatur testimonio. Etenim neque in Veteris, neque in Novi Testamenti scriptis ullum habetur indicium, ex quo colligas, *Mosem Jobi* auctorem ab Hebraeis creditum fuisse. Et profecto si celebratissimus ille populi Israëlitici dux atque moderator librum illum conscripsisset, non liquet, quâ ratione ea res ex hominum memoriâ penitus potuerit evanescere.

§. VI.

Examinatis atque rejectis illorum argumentis, qui *Jobi* librum vel ante *Mòsem*, vel a *Mose* ipso conscriptum fuisse contendunt, superest, ut ostendamus, librum illum multis post *Mosis* aetatem seculis, et, nisi fallimur, proximis ante exilium Babylonicum

temporibus, conscriptum fuisse[24]). Cui sententiae et res in *Jobi* libro memoratae, et ipsum dicendi genus apprime suffragantur. Namque quod ad res in libro illo memoratas adtinet,

I) populi Israëlitici conditio in eum modum pingitur, qualis extremis regni Judaici temporibus omnino fuit. Jam hostes ferocissimi Hebraeorum terram invaserunt, regnique proceres atque

---

24) Jobi librum non exilii Babylonici temporibus, neque post ea tempora conscriptum fuisse, arguit locus Jerem. XX, 14 — 18; qui procul dubio ex Jobi cap. III, 3 — 12, depromtus est. Possit quidem quis suspicari, Jobi auctorem locum illum a Jeremiâ mutuatum esse; quod tamen quo minus admittamus, obstare videtur 1) quod Jeremias saepius aliorum scriptorum locos in suum usum converterit, ut videre est, si conferantur Jes. XV, 5, 8, 9, 10, 11, 4 Mos. XXI, 28, 29, cum Jeremiae XLVIII, 5, 32, 33, 34, 36, 45, 46; II) quod locus ille apud Jeremiam parum conveniat iis, quae praecedentibus proxime versibus, 11 — 13, prolata fuere. Etenim postquam propheta v. 11 fiduciam suam in Deum pronuntiavit, versuque 13 ad numinis divini laudes provocavit, praeter exspectationem v. 14 diem suum natalem exsecratur; quae exsecratio, pro nostro saltem sensu, numinis divini celebrationem, versu 13 expressam, minus convenienter sequitur. Verum ut lectori judicandi copiam faciamus, liceat loci laudati versum 13 et 14 apponere:

שירו ליהוה הללו את יהוה
כי הציל את נפש אביון מיד מרעים׃
ארור היום אשר ילדתי בו
יום אשר ילדתני אמי אל יהי ברוך׃

Canite Jovam, celebrate Jovam;
Namque eripuit pauperis animam e manu improborum.
Maledictus sit dies, quo natus sum,
Dies, quo me peperit mater mea, ne sit benedictus.

Vides, quam male versiculi hi inter se congruant; unde conjicias, Jeremiam locum illum ex Jobi libro depromsisse, proinde et Jobum Jeremiae temporibus jam conscriptum fuisse.

sacerdotes captivos abduxerunt, cap. XII, 17 — 19; omnia plena sunt injuriarum, violentiae atque rapinae, cap. XXIV, 2 — 16; domus urbesque desolatae hominibus scelestis in praedam cadunt, cap. XV, 28 etc. Accedit

II) quod in *Jobi* libro ejusmodi occurrant notiones, quae apud Hebraeos nonnisi ex eo tempore, quo cum Asiae orientalis populis commercium habebant, invaluerunt. Huc referas, quae de angelis, sive geniis inter Deum hominesque intermediis, in *Jobi* libro habentur. Haud quidem negari potest, Hebraeis etiam antiquioribus temporibus angelos, מלאכים, cognitos fuisse; at vero eorum conditio in *Jobi* libro alia est atque antiquioribus temporibus. Namque in *Jobi* libro angeli consiliariorum Dei munere funguntur, cap. I, 6, II, 1; iidem hominum tutelam suscipiunt, eorumque causam apud Deum agunt, מלאך מליץ, cap. V, 1, XXXIII, 23; neque tamen ipsi a delictis peccatisque immunes sunt, cap. IV, 18, XV, 15; quae notiones apud Hebraeos nonnisi seriori tempore invaluerunt. Adde, quae de *Satanâ*, genio malo, cap. I, 6, sequ. II, 1, sequ. traduntur; cujus notio, antiquioribus temporibus Hebraeis prorsus ignota, nonnisi apud serioris aevi auctores, Zachar. III, 1, 2, 1 Chron. XXI, 1, deprehenditur. Haud quidem nos fugit, argumentum hocce, a *Satanae* notione petitum, ab iis, qui carminis prologum atque epilogum supposititium existimant, rejectum iri; at vero jam superius (§. 3, II.) monitum fuit, absque sufficienti ratione prologum atque epilogum *Jobi* auctori abjudicari. Denique

III) et ipsum dicendi genus, quod in *Jobi* libro offenditur, arguit, librum illum haud procul ab exilii Babylonici temporibus conscriptum fuisse. Etenim haud parum a priscae linguae puritate *Jobi* sermo abhorret, multumque ad seriorum scriptorum, *Danielis*, *Esrae*, *Ecclesiastae*, dictionem accedit. Occurrunt vocabula vel plane Aramaea, vel pro Aramaeorum more inflexa; saepius etiam vocabula Hebraica eâ adhibentur significatione,

quae, priscis auctoribus ignota, seriori demum tempore e sermone Aramaeo in Hebraicum translata fuit [25]). Haud quidem diffitendum, magnam idiotismorum illorum partem ad sermonem poëticum referendam esse; eo tamen non obstante seriorum temporum loquendi usus, ad Aramaeorum inclinans dialectum, ubique conspicitur. Insigniter autem alucinantur, qui Aramaeum illum colorem, quo *Jobi* dicendi genus infectum est, antiquitatis remotissimae indicium esse opinantur [26]). Etenim statuunt, diversa linguae Semiticae idiomata, Hebraicum, Aramaeum atque Arabicum, antiquissimis temporibus haud adeo ab invicem discrepasse, quam seriori aevo, quo singula illa idiomata peculiari jam modo exculta atque formata fuere. Quare si quid priscis illis temporibus sermone Hebraico conscriberetur, propius ad Aramaeum Arabicumque idioma accedere debebat, quam quae seriori aevo Hebraice consignarentur ingenii monimenta. Unde factum est, ut et *Jobi* liber, qui priscis illis temporibus conscriptus fuit, non solum Aramaeum, verum etiam Arabicum sermonem redoleret. At vero quam temere haec statuantur, nemo non videt. Haud quidem negamus, idiomata Semitica antiquissimis temporibus, quibus a communi matre haud multum distabant, propius ad se invicem accessisse; at vero propinquitatis illius nullum ad nostra tempora superavit monimentum; omnisque sermonis Hebraici ad Aramaeum inclinatio, sicuti eundem refert colorem, ita etiam ad eadem tempora, recentiora scilicet, referenda.

---

25) Longum esset, exempla in medium proferre; quod si quis ea desideret, adeat Gesenii Histor. linguae et scripturae Hebr. p. 34, 35; nec non Bernsteinii Comment. de antiquitate, argumento etc. Jobi, in Keilii Tzschirnerique Analectis, P. III, p. 49 — 79.

26) Opinionem illam tuetur Bertholdtus in Introd. in Vet. Novique Testam. libros, P. V, p. 2077, 2078.

His argumentis, ni fallimur, affatim evincitur, *Jobi* librum nequaquam antiquissimum poëseos Hebraicae specimen existimandum; contra recentioribus Veteris Testamenti libris esse adnumerandum [27]).

§. VII.

Quod si *Jobi* liber, sicuti hactenus demonstratum fuit, recentioribus Veteris Testamenti libris adnumerandus sit, ad eruendam poëseos Hebraicae originem alia circumspicienda erunt specimina poëtica, quae ad poëseos Hebraicae originem propius accedere vel videntur, vel saltem putantur. Vulgatissima inter viros doctos est sententia, in Geneseos libro plura haberi monimenta literaria, quae *Mosis* aetatem transcendant [28]); dispiciendum igitur, num, quae in libro illo occurrunt carmina, vel carminum fragmenta,

27) De Jobi libro diligenter admodum disputavit Bernstein in Keilii Tzschirnerique Analectis, P. III, p. 1 — 137; a quo doctissimo viro eatenus tamen discedimus, quod libri aetatem, quam ille ad extrema exilii Babylonici tempora deprimit, ad proxima ante exilium tempora referamus, carminisque prologum atque epilogum, quos ille suppositicios putat, a Jobi auctore profectos existimemus.

28) Geneseos auctorem in componendo libro antiquioribus usum fuisse monimentis, contendunt prae ceteris Rich. Simon Histoire critique du Vieux Testament, l. I, c. 7; Fleury Moeurs des Israëlites, p. 6; Vitringa Observatt. sacrar. l. I, c. 4; Clericus Prolegg. in Vet. Foederis translat. Dissert. III, de scriptore Pentateuchi, §. 3; Astruc Conjectures sur les Mémoires originaux, dont il paroît, que Moyse s'est servi pour composer le livre de Genèse; Jo. Jac. Schultens Dissert. qua disquiritur, unde Moses res in libro Geneseos descriptas didicerit; Ilgen Urkunden des ersten Buchs von Moses in ihrer Urgestalt; Eichhorn Introd. in Vet. Testam. P. II, §. 416 — 427; Jahn Introd. in Vet. Foederis libros, P. II, §. 15 — 18, aliique.

ante *Mosis* aetatem composita sint. Primum, quod in Genesi nobis sese offert carminis fragmentum, habetur cap. IV, v. 23, 24, quo in loco *Lamech*, *Methuschaëlis* filius, uxores suas in hunc modum adloquitur:

עדה וצלה שמען קולי
נשי למך האזנה אמרתי
כי איש הרגתי לפצעי
וילד לחברתי
כי שבעתים יקם קין
ולמך שבעים ושבעה:

Adah et *Zillah*, audite vocem meam,
Uxores *Lamechi*, aures praebete verbis meis:
Namque virum occidi in vulnus meum,
Juvenemque in vibicem meam.
Quod si *Kain* septies vindicandus est,
Lamech septuagies et septies.

Quae verba si a *Lamecho* profecta essent, linguae atque poëseos Hebraicae haberes specimen, quod diluvii tempora superaret. At vero si fragmenti illius dictionem cum Hebraeorum sermone, qualis *Davidis Salomonis*que temporibus, imo etiam seriori aetate conspicitur, conferas, vix ullum deprehendes discrimen; unde efficitur, fragmentum illud nequaquam antiquissimis illis temporibus potuisse componi, quorum sermonem a *Davidis Salomonis*que sermone plurimum distitisse necesse est. Accedit, quod quatuor priores versus homoeoteleuta exhibeant; quod artificii poëtici genus neque a *Lamecho*, neque omnino a temporibus, *Mosis* aetatem superantibus, repetendum esse videtur.

Haud aliter de alio sentiendum fragmento, quod cap. XXV, 23, occurrit; ubi consulenti Jovae oraculum *Rebeccae* hocce redditur responsum:

שני גיים בבטנך
ושני לאמים ממעיך יפרדו

ולאם מלאם יאמץ
ורב יעבד צעיר׃

Duae gentes in ventre tuo,
Et duo populi ex utero tuo separabuntur.
Populusque populo potentior erit,
Et major natu serviet minori.

In quo responso procul dubio posterorum *Esavi* atque *Jacobi*, Idumaeorum nempe atque Hebraeorum, respicitur conditio. Innuitur, populos illos infestos sibi futuros, alterum tamen, Hebraeum nimirum, altero, Idumaeo, potentiorem evasurum, huneque illi subjectum iri. Quae omnia ex seriori utriusque populi historia, maxime inde a *Davidis* temporibus, petita esse videntur. Legimus enim 2 Sam. VIII, 14, Idumaeam a *Davide* subactam, praesidiisque munitam fuisse. Hinc colligas, fragmentum illud vix *Isaci* atque *Rebeccae* tempore, quo nullum inimicitiarum inter Hebraeos Idumaeosque vestigium, verum post *Davidis* aetatem compositum fuisse.

§. VIII.

Longum esset, omnia, quae in Geneseos libro occurrunt, carminum fragmenta recensere; sufficiat monuisse, vix ullum reperiri, quod *Mosis* aetatem superare videatur. Neque tamen celebratissimum illud carmen silentio possumus praeterire, quo *Jacobus* moriturus filiis suis valedixisse fertur. Cujus carminis sive dicendi genus, sive argumentum respicias, fateare necesse est, seriorem omnia redolere aetatem. Namque quod ad dicendi genus adtinet, non differt ab illorum carminum sermone, quae mille annis post Jacobi mortem condita fuere. Qui passim occurrunt idiotismi poëtici, ut v. 11, אסרי *alligans*, עירה *asellum suum*, et alibi habentur; sic Ps. CXXIII, 1, הישבי בשמים *habitans in coelis*, Ezech. XLVIII, 18, תבואתה *proventus ejus*, etc. Accedit, quod ipsa carminis structura artificiosior sit, quam a

priscis illis temporibus, nec non a sene morituro possit exspectari. Namque omnes fere versiculi tribus tantum constant vocibus; neque desunt paronomasiae, ut v. 19, גד גדוד יגודנו, et homoeoteleuta, ut v. 8, אביך, איביך, אחיך. Similiter et carminis argumentum seriora arguit tempora. Etenim quae de filiorum *Jacobi*, sive de tribuum Israëliticarum sedibus vivendique ratione traduntur, ea demum spectant tempora, quibus populus Israëliticus sedem in Cananaeâ fixerat; imo quae v. 10 de *Judae* imperio habentur, procul dubio ad illa referenda sunt tempora, quibus populus Israëliticus regibus e tribu *Judae* oriundis subjectus esset. Unde efficitur, carmen illud nequaquam a *Jacobo* morituro potuisse pronuntiari; contra haud paucis post *Mosem* seculis compositum fuisse.

§. IX.

Ex iis, quae hactenus disputavimus, adparebit, nullum in Geneseos libro haberi carmen, aut carminis fragmentum, quod *Mosis* aetatem superare videatur. Haud aliter et de reliquis, quae in Veteri Testamento continentur, carminibus statuendum. Verum enim vero si nullum eorum, quae supersunt, carminum Hebraicorum *Mosis* aetatem superare censeatur, quaeritur porro, utrum nullum omnino poëseos periculum Hebraei ante *Mosis* aetatem fecerint? Eam quaestionem vix quisquam exploratam unquam habebit; siquidem qui *Mosis* aetatem proxime antecesserunt quadringenti anni adeo omni rerum gestarum memoriâ destituti sunt, ut de populi Israëlitici per illa tempora rebus haud quidquam pro certo pronuntiari possit. Fuere quidem, qui existimarent, Hebraeos per quadringentos illos et triginta annos, quos in Aegypto degebant, ab Aegyptiis, jam illo aevo artium atque scientiarum peritissimis, haud parum didicisse [29]). Quod si ita haberet, ex-

---

29) Jahn Archaeolog. Bibl. P. II, t. I, p. 22.

spectandum esset, eos etiam a poëseos studio haud alienos fuisse. At vero ea res longe aliter nobis videtur. Constat enim, Hebraeos, vitam pastoralem agentes, Aegyptiis, agrorum maxime culturae deditis, contemtui fuisse [30]), sejunctosque ab illis in *Gosenitide* cum gregibus suis degisse. Eâ utriusque populi conditione rarissimum Hebraeorum cum Aegyptiis fuisse videtur commercium, rarissima igitur et opportunitas cognoscendarum, quae ab Aegyptiis colebantur, artium atque scientiarum. Adde, quod procedente tempore Hebraei mirum in modum ab Aegyptiis vexati, servilibusque operibus obruti fuerint. Quae res ingeniorum cultui in universum, maxime vero poëseos studiis obstitit. Nequaquam enim ad poëticum ardorem excitari potest animus, ubi aerumnâ atque vexatione adfligitur. His inducti rationibus poëseos Hebraicae originem vix altius, quam inde a *Mosis* aetate repetendam esse censemus. Quae si probabilis sententia, haud temere nos facturos existimamus, si eodem illo tempore, quo legibus primum coërceri, et ad vitam civilem numinisque divini meliorem cultum coepit institui populus Hebraicus, poësin quoque, rem ad formandos hominum animos efficacissimam, enatam fuisse contendamus.

§. X.

Ut autem illo ipso tempore poëseos studium apud Hebraeos exoriretur, pluribus causis effectum est. In quibus primum locum *libertati* tribuerim, quam *Mose* duce Hebraei tum temporis recuperaverunt. Jam ante monitum fuit, Hebraeos, cum in Aegypto degerent, ab illius terrae regibus in servitutem redactos, servilibusque operibus oppressos fuisse. At vero servilibus operibus oppressum neque artium liberalium, neque aliarum, quae

30) 1 Mos. XLVI, 34: תּוֹעֲבַת מִצְרַיִם כָּל רֹעֵה צֹאן, abominabiles Aegyptiis omnes pecorum pastores.

ingenuos decent, rerum studiis quidquam tribuere, non est, quod moneamus. Contra libertate si quis fruatur, animus inconcussus facile ad altiora quaeque fertur. Id ipsum Hebraeis quoque evenisse certum est. Quamdiu enim ab Aegypti regibus oppressi tenebantur, nil ex eorum rebus memoriae proditum videmus, nisi quod ingentem in multitudinem populus accreverit, et lateribus coquendis operam navaverit. Sed simulac *Mosis* beneficio in libertatem vindicantur Hebraei, vires suas exserunt, bella cum finitimis gerunt, et, quamvis haud raro contra ipsum ducem suum, *Mosem*, insurgant, tamen et ad meliora animum paratum habent. Eum vero animi habitum poësi, quae soluto incitatoque animo innasci solet, convenientissimum esse, nemo est, qui ignoret.

§. XI.

Praeter libertatem, quâ Hebraei, postquam Aegypto excesserant, fruebantur, et *bella*, quae cum deserti Arabici Palaestinaeque populis gerenda erant, nascenti poësi haud parum favisse videntur. Bellis gerendis animi mirum in modum excitantur; confluunt enim omnia, quae animum movere possunt, audacia, timor, ira, gaudium, spes, dolor et cetera. Ex illis animi motibus et magna facta et grandisona dicta oriuntur. Cum ad pugnam itur, milites adloquendi et exhortandi sunt. Verum ubi animo commoto belli dux verba facit, vix pedestribus utetur verbis, sed altius insurgens poëtico concionabitur sermone, quamvis numerorum legibus soluto. Victoria cum parta est, fortia victoris exercitûs facta laudibus efferuntur, devicti contra ignavia probris conviciisque cumulatur; quod, ut rei natura fert, nequaquam sedato atque temperato animo, verum bacchico quodam oestro fieri assolet. Accedit, quod et cantu tripudioque victoria parta celebrabatur; quae res spiritum poëticum non potuit non excitare atque inflammare. Quodsi perpendamus, populum Hebraicum inde a *Mosis* obitu ad *Davidis* usque tempora, quin-

gentos ultra annos, assiduis bellis implicatum fuisse, statuamus necesse est, antiquissimam Hebraeorum poësin maxime ad heroicum genus accessisse [31]. Cujus generis quamvis pauca tantum in Veteris Testamenti libris supersint specimina, haud tamen dubitandum, ampliorem olim carminum heroicorum apud Hebraeos exstitisse copiam; quod et scriptorum Hebraicorum comprobatur testimoniis; quippe qui passim antiquos citant libros, qui magnam partem ex heroicis carminibus contexti fuisse videntur. In his *liber bellorum Jovae*, ספר מלחמות יהוה, cujus Num. XXI, 14, mentio injicitur [32].

---

31) Heroicam poësin non eam dicimus, quae et epicae nomine insignitur; sed eam, cujus argumentum in universum in rebus bellicis versatur.

32) De libro bellorum Jovae, cujus fragmentum loco citato in medium profertur, in diversas partes virorum doctorum abeunt sententiae. Sunt, qui existiment, librum illum haud diversum esse a Judicum libro, in quo varia Hebraeorum cum populis finitimis bella memorantur. Quae tamen sententia eâpropter haud probanda videtur, quod in Judicum libro laudati fragmenti ne vestigium quidem superest. Alii librum illum non Hebraeorum, sed Emoraeorum fuisse opinati sunt, eo potissimum nixi argumento, quod Moses, contra Moabitas probaturus, fines eorum non ultra Arnonem protendi, nequaquam ad scriptoris Hebraici testimonium provocare potuerit, cujus nulla apud Cananaeos fuisset auctoritas. At vero huic sententiae libri inscriptio non videtur convenire. Namque si Emoraeum liber ille auctorem habuisset, vix libri bellorum Jovae titulo insignitus fuisset. Rectius statuas, librum illum ab auctore Hebraeo profectum, historiamque bellorum, quae Hebraei in expugnandâ Palaestinâ cum populis indigenis gessere, complexum fuisse. Quae bella cum post Mosis demum obitum gesta sint, et librum bellorum Jovae post Mosis aetatem conscriptum fuisse necesse est. Quare insigniter alucinatur Aben Esra, ubi librum illum ad Abrahami tempora referendum esse censet: ספר היה בפני עצמו ושם כתוב מלחמות

§. XII.

Ad excitandam atque promovendam apud Hebraeos poësin si quae res alia, certe et *numinis divini cultus* plurimum contulisse videtur. Notissimum est, omnes fere antiqui temporis populos sacra sua solennia diesque festos tripudiando cantandoque celebrasse. Idem apud Hebraeos quoque jam inde ab antiquissimis temporibus mos obtinuit. Cum ad montem *Sinai* vitulo aureo sacra fecisset populus Hebraicus, epulis, cantando atque tripudiando diem consumsit [33]). In eundem modum dies ille festus, quo foederis arca per *Davidem Hierosolymam* translata fuit, cantu, musico lusu atque tripudio celebratus fuit [34]). Cum vero ad cantandum opus esset carminibus, quae decantarentur, haud fieri potuit, quin ea consuetudo poësin excitaret atque promoveret. Accedit, quod ad ipsum divinum cultum, qui in tabernaculo foederis peragebatur, cantus musicusque lusus, si non inde a *Mosis* aetate, certe longe ante *Davidis* tempora adhibiti fuisse videntur. Namque ex iis, quae 1 Chron. XXIII, 5, de *Davide* traduntur, constituisse eum quatuor millia Levitarum, qui cantum sacrum musicamque sacram curarent, facile conjicias, eam rem vix tum primum a *Davide* institutam, verum auctam potius atque amplificatam fuisse. Legimus praeterea 4 Mos. X, 35, 36, quo-

---

יהוה בעבור יראיו ויתכן שהיה מימות אברהם כי ספרים רבים אבדו ואינם נמצאים אצלינו, i. e. liber fuit singularis, in quo descripta erant bella Jovae propter cultores suos; et probabile est, eum exstitisse inde a temporibus Abrahami; namque libri multi interciderunt, neque apud nos reperiuntur. Commentar. in Num. XXI, 14, in Bibliis Rabbinicis Buxtorf. t. I, f. 173; Salomonis ben Melech מכלל יופי f. 33 v. Cf. Wolfii Biblioth. Hebr. P. II, p. 216 — 219.

33) 2 Mos. XXXII, 6, 18, 19.

34) 2 Sam. VI, 5, 14, 15.

tiescunque in itinere per desertum Arabicum arca foederis promota fuerit, *Mosem* haec verba pronuntiasse:

קומה יהוה ויפצו איביך

וינסו משנאיך מפניך:

Exsurge, Jova! ut dissipentur inimici tui;

Fugiantque osores tui a facie tua;

subsistente autem areâ dixisse: שובה יהוה רבבות אלפי ישראל i. e. revertere, Jova! ad myriades Israëlis. Quae verba sive a *Mose* ipso fuerint profecta, sive ex Psalmi LXVIII versu 2 petita *Mosi*que tributa, arguunt tamen, jam ante *Davidis* aetatem carmina in foederis tabernaculo pronuntiata, vel potius decantata fuisse. Ut primum autem cantus musicusque lusus ad numinis divini cultum applicati fuere, poëtae haud poterant deesse; quam provinciam sacerdotes maxime atque Levitae sibi vindicabant; quippe quibus et rerum sacrarum cura demandata, et scientiarum artiumque cultura commissa erat.

§. XIII.

Memoratis hactenus poëseos Hebraicae causis adde denique et culturae semina, quae tum civilibus, tum sacris institutionibus magnus ille Hebraeorum legislator inter populares suos sparsit. Quamdiu omnis culturae expertes, et nonnisi venationi vel pecori pascendo intenti populi degunt, omnis eorum cura, omnisque labor ad corporis solum pertinet necessitates, neque illis studiis artibusque ullus locus, quae animum juvant atque delectant. Jam vero populus Hebraicus ante *Mosis* aetatem praeter venationem pecorisque curam vix ulli rei vacasse videtur. Namque quod 1 Mos. XXVI, 12, de *Isaco* traditur, culto in Philistaeorum terrâ agro centuplicem fructum eum recepisse, neque homini, neque temporibus putarim convenire. Etenim *Isacus* pastorali deditus vitae cum gregibus tentoriisque suis, nomadum more, Palaestinam peragrabat. At vero nomades haud uni solent in-

haerere loco, neque durum agrorum culturae opus tolerare, cum multo commodius ex pecorum reditu vitam sustentare possint. Accedit, quod neque filiorum *Isaci*, neque nepotum aliquem agrorum culturae deditum videamus. Namque *Esavus* venationi incubuit [35]); *Jacobus* vitam pastoralem amplexus est, quam eandem et *Esavi* filii in monte *Seir*, et *Jacobi* posteri in Aegypto secuti sunt. Quae cum ita sint, facile perspicias, ad *Mosis* usque aetatem neque poësi, neque ceteris artibus ingenuis locum apud Hebraeos fuisse. Ut primum autem *Mosis Josuae*que beneficio populus Hebraicus stabilem in Palaestinâ sedem consecutus est; ut primum agrorum culturae (quam merito omnium fere artium atque scientiarum matrem atque altricem dixeris) civilibusque coepit adsuescere institutionibus, saniori denique numinis divini cultu coërceri atque formari: haud potuit fieri, quin et ultra ea, quae ad corporis pertinebant necessitates, animus tenderet; paulatimque scientiarum artiumque, proinde et poëseos, fundamenta jaceret.

§. XIV.

Verum enim vero durante *Judicum*, שופטים, imperio populus Hebraicus, continuis bellis cum finitimis gentibus detentus, neque in scientiis, neque in artibus multum proficere potuit; omnisque ad *Samuelis* usque aetatem poësis rudis et inculta fuisse videtur. Laetior inde a *Samuelis* tempore populi Hebraici rebus in universum, inque primis poësi lux affulsit. Namque eximius ille vir rem ad promovendam populi sui culturam uti-

35) 1 Mos. XXV, 27, Esavus dicitur איש שׂדה, איש ידע ציד, i. e. *vir peritus venationis, vir campi*. Fuere, qui virum campi eundem atque agricolam putarent; sed perperam. Namque agricola איש האדמה, *vir terrae*, dicitur; et vir campi Hebraeis is est, qui campum venandi causâ pervagari solet; גבר נפק חקלא, vir exiens in campum, sicuti Onkelos interpretatur.

lissimam, prophetarum scholas, instituit; quo instituto et poësis Hebraeorum mirum in modum aucta atque provecta fuit. Etsi scholarum illarum rationem haud penitus perspectam habeamus; constat tamen, id maxime spectatum fuisse, ut earundem alumni, qui נביאים, *prophetae*, dicebantur, numinis divini cultum salvum ab omni corruptione servarent, morum probitatem populo commendarent, imo ipsos reges atque sacerdotes monerent atque corrigerent, si forte officio suo minus satisfacerent [36]). Quo autem populi regumque animos facilius regere possent, poësi arteque musicâ imbuebantur; quas artes omnes fere antiqui temporis sapientes ad frangendos formandosque rudium hominum animos adhibebant. Inde factum, ut, quando coram populo verba facerent prophetae, non pedestri uterentur oratione; sed poëtico correpti oestro carmina fundebant, quibus haud raro musicus lusus tripudiumque accedebat. Cum *Gibeam* peteret *Saulus*, rex a *Samuele* designatus, prophetarum chorum obviam habuit, qui inter nablii, tympani, tibiae citharaeque cantum vaticinabantur, i. e. prophetica fundebant carmina; quibus conspectis atque auditis et ipse *Saulus*, poëtico correptus oestro, occurrenti choro sese immiscuit atque vaticinatus est [37]). In hunc modum comparatis prophetarum scholis, factum est, ut brevi tempore Hebraeorum poësis laetissima caperet incrementa. Certe illarum scholarum beneficio tribuendum, quod proxima post *Samuelem* aetas excellentissimos viderit poëtas, quales *David Asaf*que fuere. Namque regium illum poëtam psaltenque *Samuelis* ductu atque auspiciis institutum fuisse, non est, quod dubitemus. Haud quidem nos fugit, ex iis, quae 1 Sam. XVI, 1—13, traduntur, conjici posse, *Davidem*, priusquam a *Samuele* rex designaretur, huic nequa-

36) 1 Sam. XIII, 13, 14, XV, 16—30; 2 Sam. XII, 1—14, XXIV, 11—14; Jes. I, 10—17.

37) 1 Sam. X, 5, 6, 10, 11.

quam cognitum fuisse. At vero vix quisquam sibi persuadebit, *Samuelem* tantae fuisse temeritatis, ut juvenem obscurum, neque antea sibi cognitum, populi sui regem designaret. Neque liquet, unde egregiam illam poëseos musicaeque artis peritiam *David* hauserit, nisi, e pascuis gregibusque suis protractus, in utrâque arte institutus fuisset. Rectius igitur statuas, et *Davidem* et *Asafum* et, quos praeterea aetas illa protulit, poëtas tantum non omnes in prophetarum scholis poësi musicâque arte imbutos fuisse. Hac ratione evenit, ut, quem *libertas*, *bella*, *numinis divini cultus*, *sparsaque per Mosem culturae semina* excitaverant apud Hebraeos spiritum poëticum, eum *prophetarum scholae* ad florem perducerent.

Cap. II.

De origine et causis poëseos Arabicae.

§. XV.

Quemadmodum poëseos Hebraicae incunabula longe altius, quam par erat, a viris doctis repetita fuere: ita etiam Arabum poësin nonnulli multis seculis antiquiorem putarunt, quam solidis argumentis evinci potest. In quam sententiam auctorum Arabicorum, *Abulfedae*, *Hamzae Ispahanensis*, *Nowairii*, *Tabaritae*, *Masudii* aliorumque inducti fuere auctoritate, in quorum scriptis passim carmina citantur Arabica, quae, si laudatis auctoribus fides, *Mohammedis* aetatem multis seculis superare videntur. Cujus generis carmina vel carminum fragmenta haud pauca etiam habentur in anthologiâ poëticâ, quae *Hamasae* nomine vulgo insignitur, in *Diwano Hodsailitarum*, in *syntagmate carminum*, كتاب الاغانى الكبير, ab *Abulfaradschio Ali ebn Hosain Ispahanensi* concinnato, denique in *Schehabuddini Abulabbasi Jahjae ben Fadhlullah* opere historico atque geographico, quod inscribitur مسالك

الابصار فى ممالك الامصار i. e. *oculorum itinera in diversas orbis terrarum regiones* [38]). Nonnulla id genus carmina collegit ediditque *Albertus Schultensius* in *Monumentis vetustioribus Arabiae*; alia obviam sunt in ejusdem viri doctissimi *Historia imperii vetustissimi Joctanidarum in Arabiâ felice*, nec non in excerptis ex diversis auctoribus Arabicis Persicisque, quae illustris. *Silv. de Sacy* commentationi suae *de memorabilibus Arabum ante Mohammedem rebus* subjunxit [39]).

§. XVI.

Jam vero quod ad carminum illorum aetatem adtinet, *Schultensius* nullus dubitat ad illa tempora illosque auctores ea referre, quibus a scriptoribus Arabicis tribuuntur. Sic duo priora, quae in *Monumentis vetustioribus Arabiae* habentur, carmina ad ultimum *Dschorhamidarum* principem, *Amru ben Hareth*, quem *Salomonis* aequalem existimat *Schultensius*, referuntur; tertium *Nomano Almoafero*, *Joctanidarum* in Arabiâ felice regi, qui

38) Amplum illud atque egregium Schehabuddini opus XXVII tomis absolvitur, quorum decimus quintus, in bibliothecâ Escurialensi obvius, praestantissimorum poëtarum Arabicorum historiam carminaque selecta exhibet. E quibus speciminis instar Casirius (Biblioth. Arab. Escurial. t. I, p. 68) ingeniosum hocce depromsit distichon:

فلا مجد فى الدنيا لمن قلّ ماله

ولا مال فى الدنيا لمن قلّ مجده

Nullus honos in mundo illi, cujus exiguae sunt opes,
Nullae opes in mundo illi, cujus exiguus honos.

Perperam apud Casirium in libri inscriptione مسالك الامصار pro ممالك الامصار legitur.

39) Mémoires de littérature de l'Académie royale des inscript. t. XLVIII, p. 683 sequ.

Mosis aetate vixisse putatur, tribuitur. At vero doctissimus vir nimio forsan in literas Arabicas studio imponi sibi passus est; etenim carmina illa vix *Mohammedis* aetatem excedere, nedum *Salomonis*, vel *Mosis* tempora adtingere videntur. Quam sententiam sequentes potissimum tuentur rationes:

1) Scribendi artem proximis ante *Mohammedem* temporibus, medio fere seculo sexto post Chr. n., ab Arabibus Hedschazi incolis receptam fuisse, duumviri literarum Arabicarum peritissimi, *Reiskius* et *de Sacy*, luculentis evicerunt testimoniis [40]). Apud Arabes Jemanenses atque Hirenses aliquanto quidem prius scripturae usus invaluit; sed neque apud hos, neque illos ante seculi sexti initium. Quod si vero seris adeo temporibus scribendi ars Arabibus innotuit, qui fieri potuit, ut carmina illa, quae ad *Salomonis Mosis*que referuntur aetatem, per tantum temporis spatium, mille quingentorum et ultra annorum, solius memoriae atque traditionis beneficio conservarentur? Objiciet fortasse aliquis, et *Homerica carmina* apud Graecos plurium seculorum per decursum solâ rhapsodorum memoriâ atque traditione fuisse conservata. Exstitisse autem etiam apud Arabes jam ante *Mohammedis* tempora aliquod hominum genus, Graecorum rhapsodis haud dissimilium, qui in publicis tribuum conventibus vel fortia majorum facta, vel fictas fabulas et solutâ et ligatâ oratione enarraverint. Horum igitur hominum studio antiquissima Arabum carmina haud minus, quam Homerica poëmata rhapsodorum beneficio, ad posteros potuisse conservari; quinimo tanto facilius, quo minor Arabicorum illorum carminum, quam Homericorum, sit moles atque longitudo. At vero diversa carminum

---

40) Reiske in epistolis de Arabum re numariâ, insertis Eichhornii Repertorio literaturae biblicae, t. IX, p. 238. De Sacy in commentatione de literaturae Arabicae origine et antiquis monumentis, quae habetur in Mémoires de l'Acad. roy. des inscript. t. L, p. 306.

Homericorum atque Arabicorum, diversa etiam rhapsodorum Graecorum atque Arabicorum ratio fuit; adeo quidem, ut hisce vix conveniat, quod in illis locum habuit. Namque quod primum est, carmina Homerica, sive argumentum ipsum, sive ejusdem tractationem spectes, dignissima videri debebant, quae memoriae mandarentur. Pingunt enim priscorum Graecorum fortia facta moresque; idque vividis adeo coloribus, ut nil pulchrius, nil jucundius cogitari possit. Quare haud mireris, si carminibus Homericis memoriae mandandis omnem operam navaverint rhapsodi; quippe quibus publice recitatis non potuere non summâ voluptate atque admiratione Graeci impleri. Quae cum ita sint, facillime fieri potuit, ut carmina Homerica, quamvis sint longiora, ad quadringentos annos solâ memoriâ atque traditione conservarentur. At longe aliter cum Arabicis illis carminibus res sese habet. Argumentum eorum ut plurimum adeo leve, ut haud verisimile videatur, ea multorum seculorum per decursum in hominum ore viguisse. Quis exempli causâ credat, tenues illos versiculos, quibus *Dschodaima Alabrasch*, secundus Hirensium rex, sororem *Rikasch* ab *Adi ben Nadhr* compressam perstrinxisse fertur, trecentorum et ultra annorum spatio in hominum ore viguisse? Refert versiculos illos *Abulfeda* in historiâ universali, ubi reges Hirenses recenset, et ex illo *Schultensius* in *Monumentis vetustioribus Arabiae*, p. 34, in hunc modum:

خبّريني رقاش لا تكذبيني

بحرّ زنيت ام بهجين

ام بعبد فانت اهل لعبد

ام بدون فانت اهل لدون ۞

Indica mihi, *Rikasch*, neque mentiaris mihi:

Cum nobili concubuisti, an cum ignobili [41]?

41) Doctiss. Ewald in libro, quem de metris carminum Arabicorum

An cum servo? at tu digna servo;
An cum viliori? at tu digna viliori.

Nonne rectius statuas, versiculos illos ab incerto quodam auctore seriori tempore excusos, regique *Dschodaimae* tributos fuisse? Haud aliter de illis quoque carminibus statuendum, quae laudatis hisce versiculis multo antiquiora, et ad *Salomonis Mosisque* aetatem adscendere perhibentur. Nequaquam enim liquet, quâ ratione per tot seculorum decursum praeter scripturae usum conservari potuerint. Namque quod ad Arabum rhapsodos adtinet, qui in publicis conventibus populum narrationibus oblectare solebant, illorum quoque a Graecorum rhapsodis diversa ratio. Graecorum rhapsodi nonnisi carmina recitabant, maxime Homerica; contra Arabum rhapsodi solutâ ut plurimum oratione utebantur, carminibus rarius, et nonnisi datâ occasione intermixtis. Neque Arabum rhapsodi, ubi narrationes suas versiculis distinguerent, ab aliis auctoribus illos mutuati esse, verum quos ex tempore adflatus poëticus ipsis suggereret, profudisse videntur. Denique vix quisquam audebit adfirmare, rhapsodos illos jam inde a *Mosis* vel *Salomonis* temporibus inter Arabes obtinuisse; contra tutius negaveris, eam maxime propter causam, quod rhapsodicae illius artis origo atque usus altiorem animorum cultum requirere videtur, quam priscorum illorum temporum Arabes, feram in desertis suis vitam degentes, consecutos fuisse credibile est.

---

conscripsit, p. 84, loco بأكثر, flagitante metro, أبأكثر legendum censet; quam lectionem etsi non improbemus, periculosum tamen existimamus, absque codicum praesidio metricis tantum rationibus carmina Arabica emendare. Constat enim, Arabum poëtas in metricâ carminum suorum structurâ haud raro magnâ licentiâ usos fuisse; adeo quidem, ut ambigi possit, utrum ad librarios, an ad auctorem ipsum metri vitia referri debeant, nisi ea dubitatio codicum manuscriptorum auctoritate tollatur.

II) Quod si carmina illa eâ aetate, cui ab auctoribus Arabicis *Schultensio*que tribuuntur, fusa fuissent, procul dubio lingua eorum omneque in universum dicendi genus haud parum abhorreret ab illo dicendi genere, quod in iis carminibus locum habet, quae vel paulo ante *Mohammedem*, vel insequentibus etiam temporibus prodiere. Namque inter *Mosis* aetatem, cui versiculus *Nomani Almoaferi* nomine insignitus tribuitur, et *Mohammedis* tempora duo millia annorum intercedunt; quo temporis spatio linguam Arabicam haud parum immutari necesse erat. At vero carminum illorum dicendi genus nequaquam ab eo differt sermone, quem in carminibus inde a *Mohammedis* aetate compositis conspicimus. Accedit, quod carmina illa, quae ab *Hemjaritis* concinnata feruntur, praeter antiquitatis colorem et *Hemjariticae* dialecti proprietate a carminibus illis, quae *Koraischitarum* linguâ composita sunt, differre deberent; quod tamen secus se habet. Unde conjicias, carmina illa nequaquam ante illud tempus, quo *Koraischitarum* sermo prae ceteris linguae Arabicae dialectis invaluit (quod demum inde a seculi quinti exitu evenit, quo tempore pulsis *Chozaitis Koraischitae Meccae* principatum templique Meccani curam obtinuere), composita fuisse; idque non veteri illâ *Hemjaritarum* linguâ, verum recentiori *Koraischitarum* dialecto. Quo majorem sententiae nostrae fidem conciliemus, juvabit fragmentum carminis in medium proferre, quod *Asad Abu Karb*, *Hemjaritarum* rex, quum *Caabam* vestiisset, septingentis ante *Mohammedem* annis edidisse dicitur. Fragmentum hocce ex *Kotbuddini Naharwaliensis* libro, quo templi Meccani historiam exponit, depromtum habes in *Schultensii Monumentis vetust. Arabiae*, p. 13, in hunc modum:

وكسونا البيت الذى حرّم اللّه

ملاء مقصّبا وبرودا

واقمنا به من الشهر عشرا

وجعلنا لبابه اقليدا
وخرجنا منه الى حيث كنّا
ورفعنا لوآءنا المعقودا

Vestivimus domum, quam sacram reddidit Deus,
Sindone subtilissimâ vestibusque striatis.
Ibique commorati sumus decem menses,
Foribusque ejus addidimus clavem.
Deinde egressi sumus illuc, ubi sedem habebamus,
Vexillumque sustulimus convolutum.

Quod fragmentum cum septingentis annis *Mohammedis* aetatem superare, dialectoque insuper *Hemjariticâ* compositum esse dicatur: exspectandum erat, ut et antiquitatis et peculiaris illius dialecti colorem prae se ferret; cujus tamen coloris neque in ipsis vocabulis, neque in eorum structurâ grammaticâ ullum vestigium conspicitur. Contra, ea est sermonis ratio atque indoles, ut fragmenti illius origo nonnisi ad aetatem *Mohammede* inferiorem sit referenda [42]. Ceterum si et concedatur, fragmentum illud a *Tobbao Asad Abu Karb* profectum esse, haud tamen septingentis annis *Mohammedis* tempora superabit. Namque rex ille *Hemjaritarum*, ut clariss. *de Sacy* docuit [43], inde ab anno 220 ad annum 238 post Chr. n., ergo ab anno 349 ad annum 331

---

42) De Sacy maxime in ultimis fragmenti hujusce verbis لوآء معقود serioris aevi vestigium deprehendere sibi visus fuit. Colligit enim ex loco libri سيرة الرسول i. e. legati divini (Mohammedis) vita, morem vexilla nectendi, ubi in bellum eundum esset, demum a Cosai, qui pulsis Chozaitis Meccae principatum ad Koraischitas detulit, introductum fuisse. Vide Comment. de literaturae Arabicae origine, p. 364.

43) In commentatione de memorabilibus Arabum ante Mohammedem rebus, p. 593.

ante *Mohammedem* natum sceptra tenuit. Sed objiciet nobis fortasse aliquis versiculum illum, quem decimus Joctanidarum rex, *Nomanus Almoaferus*, *Mosis* aequalis, pronuntiasse dicitur. Versiculum huncce *Abulfeda* in regum Joctanidarum catalogo citat, unde *Schultensius* eundem *Monumentis vetustioribus Arabiae* inseruit p. 11:

اذا انت عافرت الامور بقدرة

بلغت معالى الاقدمين المقاول ✿

Quod si tu negotia cum potentiâ tractes,

Consequeris celsitudinem principum imperitantium.

Hujus versiculi bina vocabula عافر et مقاول rarius occurrunt eâ, quam hoc loco obtinent, significatione. Quod ad vocem مقاول adtinet, *Dschauharius* eam *dictatoris*, sive *imperitantis* significatione *Hemjaritarum* dialecto adscribit. Verum utriusque vocabuli significatio facile, ut et ipse *Schultensius* monuit, a primitivâ verborum عفر et قال significatione derivari potest; quare vocabulis illis, etsi rarius occurrant, vix indubitatum antiquitatis vestigium inesse putamus. Contra quis credat, versiculum illum per bis mille annorum spatium traditione adservatum fuisse, cum tritissimam exhibeat sententiam, qualem quotidie, et a quovis morum praeceptore Arabes audire poterant. At vero objicias, ab hoc ipso versiculo *Nomano* cognomentum *Almoaferi* inditum; quare vix dubitandum, eum versiculi hujus esse auctorem. Docet enim *Schultensius* [44]), „cum regali hacce sententiâ *Nomanus* artem cum augendae, tum retinendae in perpetuum dominationis sanxisset, meruisse titulo معافر *Muaphir*, i. e. *blande famulantis*, in seculorum memoriam mitti; solitos enim fuisse Arabes, viros principes ab aliquo nobili vel facto, vel dicto insignire.“ Verum enim vero nobis multo videtur verisimilius, regis illius

---

44) Monumenta vetustiora Arabiae, p. 12.

cognomentum المعاثر seriori alicui poëtae, qui cognomenti illius rationem reddere vellet, ansam dedisse, ut versiculum illum excuderet, regique *Nomano* tribueret.

III) Quod si tandem externam quoque carminum memoratorum respiciamus formam, adparebit et inde, nisi omnia nos fallunt, carmina illa nequaquam ad ea tempora, quibus vulgo tribuuntur, esse referenda. Credibile est, imo ipsa rei natura et expressa auctorum Arabicorum testimonia docent, antiquissima Arabum carmina nonnisi brevibus aliquot versiculis, simplicissimo sermone liberiorique rhythmo fluentibus, concinnata fuisse. Celebratissimus ille Alcorani interpres, *Sojutius*, in libro, qui inscribitur كتاب المزهر فى علوم اللغة, *pratum floridum de scientiis philologicis*, tradit, priscorum Arabum poësin nonnisi singulis versibus constitisse, quos quisque datâ occasione profudisset. Idem auctor docet, primum, qui *Kasidam*, sive poëma triginta versibus comprehensum, composuerit, ex sententiâ *Talebi* fuisse *Mohalhelum*, quem brevi ante *Mohammedem* vixisse constat [45]). Quaenam antiquissimorum illorum carminum ratio fuerit, intelligas ex reliquiis quibusdam, in Arabum scriptis passim obviis; quae, etsi non ad poëseos Arabicae recedant origines, formam tamen antiquissimorum illorum carminum prae se ferunt. Exemplo sint *Marhabi*, castelli *Alkamus*, القموص, praefecti, *Aliique ben Abi Taleb* verba, quibus, in bello Chaibarensi congredientes, sese invicem adlocuti sunt. Rem illam *Abulfeda* in *Mohammedis* vitâ, ex edit. *Gagnieri*, p. 89, in hunc modum refert: وخرج مرحب صاحب الحصن وعليه مغفر وهو يقول.

---

45) Pocockii specimen histor. Arab. edit. prior. p. 161. De Sacy commentat. de literaturae Arab. origine, in libro, qui inscribitur: Mémoires de littérat. de l'Acad. roy. des inscript. tom. L, p. 350.

قد علمت خيبر
انّى مرحب
شاكى السلاح
بطل مجرب

فقال علىّ

انا الذى سمّتنى
امىّ حيدرة
اكيلكم بالسيف
كيل السندرة ✿

i. e. Prodiit autem *Marhab*, castelli *(Alkamus)* praefectus, galeâ munitus, eumque *(Alium)* adlocutus est:

Jam nosti *Chaibarenses*,
Ego sum *Marhab*,
Armis probe instructus,
Heros, bellator.

Cui *Ali* respondit:

Ego ille, quem adpellavit
Mater mea *Haidaram* (leonem);
Metiar vobis gladio
Mensuram *Sandaram* (magnum mensurae aridorum genus).

Quae verba, sive ab hominibus illis fuerint pronuntiata, sive a seriori aliquo scriptore ipsis tributa, docent tamen simplicitate suâ, quaenam antiquissimorum carminum Arabicorum fuerit forma. Horum carminum indolem plures etiam Alcorani Surae referunt, quae itidem, sicuti animi ferebat impetus, pronuntiatae videntur. E multis unam tantum, centesimam videlicet, exempli causâ in medium proferre liceat:

والعاديات ضبحا
فالموريات قدحا
فالمغيرات صبحا
فأثرن به نقعا
فوسطن به جمعا
انّ الانسان لربّه لكنود ☆

Per equos cum fremitu currentes,
Ignem ungulae pulsu excutientes,
Tempore matutino in proelium ruentes,
Pulverem excitantes,
Inque medias turmas penetrantes:
Profecto homo in dominum suum ingratus est.

Quod si cum poëmatiis hisce, quae, licet haud antiquissimis poëseos Arabicae speciminibus adnumeranda sint, simplicem tamen illorum formam prae se ferunt, carmina illa conferantur, quae a *Schultensio* multis ante *Mohammedem* seculis, imo *Salomonis* aetate composita putantur, mirum, quantum inter utraque discrimen intercedat. Namque *Schultensiana* illa carmina et longioribus, et ad metricae artis leges effictis constant versibus, quales certe nemo, nisi praejudicatis captus sit opinionibus, ad poëseos Arabicae origines referet.

§. XVII.

Quod si Arabum poësis, sicuti hactenus demonstratum fuit, nequaquam tantae vetustatis, quantam *Schultensius* illi tribuit, esse potest, quaeritur, ad quaenam tempora ejus incunabula referenda sint? Quo tutius quaestionem hanc solvere possimus, videndum est, cuinam aetati antiquissimus poëtarum Arabicorum adscribi possit. Agmen poëtarum Arabicorum, de quorum quidem aetate certi quid statui potest, ducere videtur *Abu Adina*, pa-

truelis *Aswadi*, decimi secundi Hirensium regis, qui inde ab anno 460 p. Chr. summam imperii tenuit. Hujus poëtae carmen, quo *Aswadum* ad principes *Gassanidas*, bello captos, interficiendos incitat, ex *Abulfedâ* et *Nowairio* depromtum exhibet *Schultensius* in *Monumentis vetustioribus Arabiae*, p. 57 — 59. Vir clariss. *de Sacy* nullus dubitat carmen hocce ad illum, cujus nomen prae se fert, auctorem referre. Quod si ita se habet, antiquissimum poëseos Arabicae specimen et praestantissimum simul in suo genere censendum esset. Namque libenter *Schultensii* accedimus sententiae, in hunc modum de carmine hocce statuentis [46]: „Carmen hocce merito in famam et admirationem venit posteritatis; nam nihil fortius tali quidem in causâ concipi, aut enuntiari potest. Initium, progressus, finis, omnia sic dispensata, sic suis figuris vestita, vel potius aculeis armata, ut non potuerint non effectum in animo regis sortiri. Cum dignitate ac granditate omnibus quoque locutionibus inest singularis quaedam perspicuitas, quâ omnes viri sensus adfectusque relucent." Possit quidem ipsa haec carminis praestantia, metrica praeterea ejusdem ratio (est enim ad leges metri بسيط concinnatum) suspicionem movere, a seriori quodam poëtâ compositum, et regis *Aswadi* patrueli tributum fuisse. Verum cum et carmina illa, quae *Moallakarum* vulgo nomine insigniuntur, quaeque vel ad finem vergente seculo sexto, vel ineunte septimo composita esse constat, et praestantissima sint, et metricis insuper legibus adstricta: fieri omnino potuit, ut centum annis ante, circa finem seculi quinti, carmen nostrum ab *Abu Adina* componeretur; praesertim cum Hirenses, quibus *Abu Adina* accensendus, et scripturae usu, et ingenii culturâ in universum *Hedschazi* incolas praecurrerent. Quod si igitur antiquissimum hocce poëseos Arabicae specimen ad finem vergente seculo quinto compositum fuit,

---

46) Monument. vetust. Arab. p. 61.

necesse est, ut poëseos Arabicae origines uno saltem alterove seculo altius repetantur; cum haud verisimile sit, jam prima tentamina poëtica tantae fuisse perfectionis, quantam in carmine illo saepius memorato conspicimus.

§. XVIII.

Definito jam, quoad fieri potuit, tempore, quo poësis apud Arabes initium sumsisse videtur, dispiciendum, quibusnam causis ad divinae illius artis studium Arabes excitati fuerint. Inter varias causas, quibus ad poëseos studium Arabes impelli poterant, primum locum gravibus illis motibus tribuerim, qui inde a celeberrimâ illâ epochâ, cui nomen سيل العرم, i. e. *inundatio aggerum*, inter Arabes locum habuere. Tradunt Arabum historici, complures tribus *Jemanam* incolentes imminentem *aggeris Marebensis*, quo immensa aquarum vis continebatur, ruinam timentes, natale solum deseruisse, inque alias terras, maxime *Hedschazum*, se contulisse. Sed rectius cum clariss. *de Sacy* [47]) statuas, tribus illas imperium regum Hemjaritarum adspernantes sponte suâ e terrâ patriâ emigrasse; id quod vergente ad finem seculo p. Chr. n. secundo evenit. Relictâ patriâ tribus illae, inter quas *Azditae* maxime eminent, vallem *Batn Mor*, haud procul *Meccâ*, sedem elegerunt. Verum cum locus advenarum multitudini non sufficeret, factum est, ut magna pars novas sedes quaereret; quorum alii *Jathrebam*, sive *Medinam*, alii *Omanam*, alii Syriae fines, alii denique *Euphratem* petierunt. Qui Syriam atque *Euphratem* petierant, *Gassanae Hiraeque* regna condiderunt. Cum utrique, et Gassanidae et Hirenses, frequenti cum cultioribus populis, Syris, Persis Romanisque, uterentur commercio, fieri non potuit, quin et ipsi magis magisque in dies excolerentur. Maxime

---

47) Mémoires de littérat. de l'Académie royale des inscript. tom. XLVIII, p. 517 sequ.

vero Hirenses reliquos Arabes ingenii cultu praevertisse videntur. Apud eosdem poëseos studium primo exortum fuisse credibile est. Cui studio reges quoque Hirensium haud parum favisse inde conjicias, quod auctores Arabici antiquissimis gentis suae poëtis plures Hirensium reges adnumerarent. Inter poëtas, quorum carmina in *Schultensii Monumentis vetustioribus Arabiae* exhibentur, occurrunt *Dschodaima*, secundus Hirensium rex, *Behram Gur*, sive *Waranes* V, Persiae Rex, qui in aulâ *Nomani*, Hirensium regis, educatus fuit, nec non *Abu Adina*, *Alaswadi*, decimi secundi Hirensium regis, patruelis. Jam etsi *Dschodaimae* et *Behrami* carmina suppositicia videantur, tamen vel inde, quod principes illi ab auctoribus Arabicis poëtis adnumerentur, colligas, in regum Hirensium aulâ poësin fotam promotamque fuisse.

§. XIX.

Dispersis in hunc modum in diversas terras *Azditis*, haud exigua eorum pars *Hedschazi* substitit, unde illis *Chozaitarum* nomen (quod ab reliquis separati essent) inditum. Hi brevi tantum invaluere, ut urbis *Meccae* principatum, simulque antiquissimi illius atque celebratissimi templi Meccani, cui *Caabah* nomen, curam obtinerent. Fracta quidem eorum potentia per aliquod tempus, cum Jemanensium rex *Tobba Asad* seculo tertio medio, vel, ut alii volunt, *Tobba minor*, *Hasani* filius, ineunte seculo quarto *Hedschazum* invaderet, principesque ejus urbes, *Meccam* atque *Medinam*, imperio suo subjiceret. Verum haud multo post animum viresque recepere *Chozaitae*, et cum saepius feliciter cum regibus Jemanensibus decertavissent, tandem *Colaibo* duce memorabilem victoriam reportarunt, imperioque regum Jemanensium sese subtraxerunt. Haec pro libertate certamina, ipsaque tandem recuperata libertas, haud parum valuisse videntur, ut seculo quinto sextoque apud Arabes *Hedschazi* incolas poëseos studium exoriretur, et laetissima mox incrementa caperet. Quare

recte *Tychsenius* monet, sicuti Graeci post victorias a Persis reportatas poësin, literas, artes novo studio excoluissent, ita apud Arabes quoque excusso regum Jemanensium imperio poëseos studium coepisse efflorescere [48]). Profecto si libertatis studium, bellaque pro eâdem feliciter gesta ulli unquam populo altiores spiritus addidere, id Arabibus eo magis contigisse necesse est, quo appetentior ea gens libertatis atque bellorum inde ab antiquissimis fuit temporibus. Hinc factum, ut antiquissimi Arabum poëtae maxime in describendis pugnis, in laudandâ fortitudine bellicâ et vituperandâ ignaviâ versarentur; hinc et celebratissima illa carminum Arabicorum anthologia, cui *Hamasae* nomen, dimidiâ sui parte carminibus heroicis constat, a quibus et omnis illa anthologia *Hamasae* nomen adepta est.

§. XX.

Praeter motus illos, quibus inde a seculi secundi exitu Arabum gens exagitata fuit, praeter bella, quibus Hedschazenses libertatem suam contra regum Jemanensium violentiam defendere conati sunt, aliae quoque accedebant causae, quae poëseos studium apud Arabes excitasse atque propagasse videntur. Jam superius monitum fuit, obtinuisse vel ante *Mohammedis* tempora morem apud Arabes, ut fortia majorum facta, vel etiam fictae fabulae in populi conventibus ab hominibus dicendi peritis enarrarentur. Cujus moris origo a familiari hominum otiosorum confabulatione repetenda videtur. Confluebant nempe vel domestici, vel vicini tempore maxime vespertino ad lunae splendorem eo consilio, ut mutuâ confabulatione tempus fallerent. In his consessibus seniores, utpote qui multarum rerum experientiâ

48) De poëseos Arabum origine et indole antiquissimâ commentatio, inserta volumini III commentt. recentt. societatis scientiar. Gotting. p. 252.

atque cognitione ceteros antecellerent, priscorum temporum res memorabiles, illustriumque virorum praeclare facta dictaque, imo etiam fabulas fictas ad oblectandos auditorum animos enarrabant. Procedente tempore hujusmodi narrationes non tantum in familiaribus illis consessibus, verum etiam in publicis tribuum conventibus locum obtinuere, inventique sunt homines, qui omni studio in id incumbebant, ut jucundis narrationibus populum detinerent. Hunc morem ad excitanda poëseos studia multum valuisse, facile est intellectu. Utebantur quidem narratores illi ut plurimum sermone pedestri; sed quotiescunque vehementiores adfectus exprimendi erant, sermo altius insurgebat, poëticumque induebat colorem. Quod primo ipsius rei natura poscere videbatur, nempe ut aliquando poëticum colorem narratorum illorum oratio indueret, id postea in artem abiit. Namque datâ operâ versiculi, imo etiam carmina longiora, quibus admodum delectabantur Arabes, narrationibus illis inserta fuere. Quare si quis narratoris partes sustinere vellet, omnino et poësi aliquam operam navare debebat, ut solutam narrationis orationem gratâ vice carminibus posset distinguere. Quaenam narrationum illarum fuerit ratio, intelligas ex *Hamadanii*, *Haririi* aliorumque auctorum Arabicorum consessibus, qui ad formam narrationum illarum compositi sunt. Maxime vero, sive formam, sive argumentum respicias, narrationum illarum indolem refert *Antarae historia*, قصة عنتر, quam ex ejusmodi narrationibus, jam ante *Mohammedem* celebratis, *Harune Arraschido* et *Mamune* imperantibus, eximius ille philologus et poëta *Asmai* concinnavit. Quantum vero narrationibus illis Arabes fuerint delectati, facile inde conjicias, quod nondum stabilito Islamismo eas vel ipsius *Mohammedis* oraculis anteferrent. Quare *Mohammed*, haud ignarus, narrationes illas doctrinae suae multum obfuturas, sectatores suos plus simplici vice in Alcorano monet, ne ejusmodi narrationibus

aurem praebeant, gravesque illis poenas minatur, qui divina oracula narrationibus illis posthaberent [49]. Neque tamen vel magni illius prophetae auctoritas propensum populi sui in fabulas animum vincere potuit. Namque et post *Mohammedem*, imo etiam nostris quoque temporibus, Arabes, et urbium, et desertorum incolae, si quâ aliâ re, certe ejusmodi narrationibus delectantur [50].

§. XXI.

Ad excitandam atque promovendam inter Arabes poësin denique et celebratissimi illi conventus, qui *Okadhi* locum habebant, haud parum contulisse videntur. Fuit autem *Okadh*, عكاظ, locus in viciniâ *Meccae*, quo quotannis Arabes exercendae mercaturae causâ confluere solebant. Neque tamen soli mercaturae *Okadhi* incumbebant Arabes, quin etiam audiendis poëtis vacabant, qui in illo popularium suorum confluxu carminibus recitandis concertabant. Ferunt, carmina illa, quibus in certamine hoc primae partes delatae fuissent, aureis literis bysso inscripta ad notissimi illius sanctuarii, cui *Caabah* nomen, fores suspensa fuisse; unde carminibus hisce *suspensorum*, *Moallakat, aureorumque*, *Modsahhabat*, nomen inditum. Quae sententia quamvis doctissimorum virorum suffragiis commendetur, tamen haud immerito nostrâ aetate in dubium vocata, imo refutata fuit [51]. Constat enim, solennes illos *Okadhi* conventus ante *Mohammedem* celebratos fuisse, quo tempore scribendi ars Arabibus, Hedschazi

---

49) Alkorani Sura XXIII, v. 68, 69; XXXI, 6, 7, ex edit. Marraccii.

50) De Sacy Comment. de literaturae Arab. origine et antiquis monumentis, p. 369. Tychsen de poëseos Arabum origine et indole antiquiss. p. 275. Niebuhrii descriptio Arabiae, p. 107.

51) Hengstenbergii prolegomena in Amrulkaisi Moallakam, p. 2—4.

incolis, cognita quidem, sed vix adeo usitata fuisse videtur, ut carmina longiora artificiose literis aureis bysso potuissent inscribi. Sed si concedas etiam, jam tum temporis adeo expeditum fuisse scribendi usum, ut longiora carmina bysso potuissent inscribi, haud tamen credibile est, omnia illa carmina, quibus palma adjudicata esset, *Caabae* foribus affixa fuisse. Namque carminum illorum haud exiguus numerus esse debuit; quae si cuncta in *Caabâ* suspensa fuissent, sanctuarii illius parietes carminibus perinde ornati fuissent, ac nostris temporibus divitum conclavia tapetis vestiri solent, quod quidem haud facile quisquam sibi persuadebit. Denique si carmina illa tantâ curâ literis consignata et sacrosancto illo loco adservata fuissent, qui factum est, ut e multis septem tantum ad nostra superaverint tempora? Probabiliorem nominis *Moallakat* rationem reddit locus, quem e codice *Moallakarum* Gothano depromtum exhibuit *Kosegarten* in *Amrui ben Kelthum* editione, p. 66, cujus verba ex *Kosegartenii* versione iu hunc modum audiunt: „Dictae autem sunt *Moallakae*, i. e. *suspensae*, quia, quotiescunque recitabant carmen in eorum consessibus, dicebant seniores: *suspendite id;* ut significarent hoc esse ex iis, quae juvaret servare. Quod vero dixerunt, nempe ea suspensa fuisse in *Caaba*, hoc fundamento caret, sicut tradit *Ebn Ennachas.*“ Quare rectius statuas, cognomentum *Moallakat* carminibus illis eam propter causam inditum, quod prae ceteris digna viderentur, quae ad posteros adservarentur. Haud dissimilis et alterius illius cognomenti, quo carmina haec insigniuntur, ratio fuisse videtur. Non quod literis aureis bysso vel sindoni inscriberentur *Modsahhabat* dicta fuere; sed quod praestantissima poëseos antiquae monimenta visa sint, aureorum cognomentum acceperunt: quemadmodum et sententiae illae, quae *Pythagorae* nomine circumferuntur, simili ratione χρύσεα ἔπη, aurea carmina, adpellata fuere. Sed quaecunque tandem utriusque illius cognomenti causa fuerit, id certe constat, poëtica illa certamina, quae

Okadhi solebant institui, plurimum ad excitandam atque promovendam inter Arabes poësin contulisse. Neque id adeo mirum, cum tantus illis, qui primas referrent partes, honos habitus fuerit, quantus vix illis, qui generis nobilitate, vel fortitudine bellicâ prae ceteris eminerent. Quare si quis e certamine illo palmam referret, beatissimos sese ejus tribules praedicare, epulas instituere, multisque aliis modis gaudium suum significare solebant [52]).

§. XXII.

His potissimum causis poëseos studium apud Arabes excitatum promotumque fuisse videtur. Ut primum autem jucundissimae artis primitias homines illi, ad quasvis res egregias habilissimi, gustaverunt, mirum, quantum poëseos studium illos incesserit, quantumque ars illa brevissimo temporis spatio provecta fuerit. Quicunque melioris indolis cultiorisque ingenii laudem adfectabant, poësi operam navabant; et cum anteactis temporibus duabus maxime rebus, fortitudine bellicâ et hospitalitate gloriarentur Arabes, jam et artis poëticae peritia haud minori laudi ducebatur. Quod poëseos studium adeo diffusum fuit, ut non solum viri, verum etiam mulieres carminibus componendis incumberent [53]).

---

52) Pocockii specimen hist. Arab. p. 159, 160. Ejusdem oratio, cum praelectiones in Tograi carmen auspicaretur, p. 10.

53) Haud exiguus feminarum numerus, quae inter Arabes poëseos studio inclaruerunt. Maxime vero cantatrices et citharistriae poësi quoque operam navabant. In his *Sallamat-ul-Kass*, i. e. *Sallamah presbyteri*, Medinensis, Jazidi ben Abdulmalek, chalifae Omajjadae, mancipium; *Olajjah*, Almahdii, chalifae Abbasidae, filia; *Badsl*, Medinensis, Alhadii et Alamini, chalifarum Abbasidarum serva, quae librum cantilenarum in Alii ben Hescham usum composuit; *Oraib*, Bagdadensis, cognomento Almamunianae insignis, quia Almamun, chalifa, magnopere illius cantu delectabatur; *Danamir*, Medinensis, Jahjae ben Chaled Barmekidae

Notissimum est illud poëtae *Farezdaki* dicterium, quo carmen a muliere compositum excepisse fertur: اذا صاحت الدجاجة صياح الديك فلتذبح, i. e. *galli cantum cum imitatur gallina, jugu-letur* [54]). Tantâ in poësin ingeniorum propensione factum est,

---

serva, libri cantilenarum auctor; *Enan*, Jemamensis, Annatefii serva, quae cum clarissimis suae aetatis poëtis concertavit; *Mahbubah*, Basrensis, Almotawakkeli chalifae mancipium; *Aje-schah*, filia Ahmedis, Cordubensis, cujus carmina saepissime in regiâ Academiâ Cordubensi, summo auditorum plausu, legebantur; *Labanah*, Cordubensis, Hispaniae regis Alhakemi Almostanser Bellah ab epistolis; *Safejah*, Hispalensis, praeter ingenium poëticum et in scribendi arte adeo exercitata, ut peritissimis scribendi magistris admirationi esset; *Waladah*, Hispaniae regis Mohammedis Almostakfii filia, quae cum doctissimis Academiae Cordubensis viris et solutâ et numeris adstrictâ oratione concertavit, semperque superior discessit. Hujus sequentes sunt versiculi, Academiae Cordubensis sodalibus inscripti:

الحاظنا تجرحكم في الحشا
ولحظكم يجرحنا في الخدود
جرح بجرح فاجعلنا ذا بذا
فما الذى اوجب جرح الخدود

quos versiculos Joannes Yriarte, bibliothecae regiae Matritensis olim quinquevir, in huncce modum Latine expressit:

Vulnerat adspectus noster praecordia vestra,
Et feriunt nostras lumina vestra genas.
Mutua vulneribus miscentur vulnera; at eheu!
Quo rubuere genae, plus grave vulnus erit.

Conf. Kosegartenii prooemium in Alii Ispahanensis librum cantilenarum, cap. I, p. 5 — 32; Casirii biblioth. Arab. t. I, p. 106, t. II, p. 149, 150.

54) Pocockii oratio, cum praelectt. in Tograi carmen auspicaretur, p. 11.

ut jam ante *Mohammedem* aurea Arabicae poëseos aetas exoriretur. Credibile est, proximis ante *Mohammedem* temporibus magnam poëtarum Arabicorum exstitisse turbam; quorum tamen carmina maximam partem interciderunt. Neque id mireris; namque cum ante *Mohammedem* scribendi ars Arabibus nondum adeo usitata fuerit, ut carmina illa omnia literis consignarentur, inde a *Mohammede* autem diuturnis bellis Arabes a Musis avocarentur, fieri non potuit, quin maxima antiquiorum illorum carminum pars hominum memoriae excideret, atque omnino interiret.

Cap. III.

C o m p a r a t i o.

§. XXIII.

Hactenus de origine causisque poëseos apud Hebraeos Arabesque actum; sequitur ut videamus, quatenus utriusque populi poësis, sive originem, sive causas spectemus, inter se consentiat atque differat. Si verum est, quod superius docuimus, poësin apud Hebraeos *Mosis* aetate, i. e. mille quingentis circiter ante Chr. n. annis, originem sumsisse, apud Arabes vero Hirenses seculo post Chr. n. tertio vel quarto, Hedschazique apud incolas quinto demum seculo enatam fuisse: efficitur, poësin Hebraicam mille septingentis circiter annis antiquiorem esse Arabicâ. Quaesiveris, qui factum fuerit, ut Arabes, quamvis Hebraeorum cognati vicinique essent, tantis seculis serius ingenia excolere coeperint? Rectissime *Tychsenius* [55]) hujus rei causam in eo positam existimat, quod Hebraei jam antiquissimis temporibus magni illius legislatoris, *Mosis*, beneficio ab instabili incultâque nomadum vitâ ad agrorum culturam deducti, legibusque ac religione cir-

55) De poëseos Arabum origine et indole antiquissimâ, p. 235.

conscripti, et ad humanitatem instituti fuissent; Arabes contra vel mari, vel desertorum vastitate a cultioribus populis discreti, in vitae pastoralis simplicitate atque feritate diutissime perseverassent. Id temporis discrimen, quod inter Hebraeorum Arabumque poësin intercedit, haud parum ad indolem quoque poëseos, imo et linguarum utriusque populi valuisse videtur. Hebraeorum poësis, et ipsa in universum lingua, simplicior poësi linguâque Arabicâ; id quod praeprimis a majori illius antiquitate repetendum censeo. Namque eo tempore, quo Hebraeorum poësis et lingua in universum exculta fuit, minus frequens inter populos commercium; quare et ea, quae ad ingenii cultum pertinent, scientiae artesque, difficilius inter diversarum terrarum homines commutabantur, adeo, ut singuli quique populi, alienâ ope destituti, proprio labore propriisque viribus ad scientias artesque eniti necesse haberent. Quo factum, ut et lentius quaevis studia procederent, et simpliciorem induerent formam, quod in Hebraeorum poësi linguâque evenisse videmus. Contra illo tempore, quo Arabes poëseos linguaeque suae studio incumbere coeperunt, et frequentius inter populos commercium, et populi, quibuscum Arabes sive pacis, sive belli commercium exercebant, cultiores fuere; unde evenit, ut artium atque scientiarum semina et facilius ab uno populo ad alterum transire, et, ubi transierint, citius atque artificiosius excoli possent. Quare vix fieri potuit, quin et poësis et lingua Arabum a poëseos linguaeque Hebraicae simplicitate descisceret, et artificiosiorem formam indueret.

§. XXIV.

Quod ad causas adtinet, quibus apud Hebraeos Arabesque poëseos studium excitatum promotumque fuit, partim easdem, partim diversas deprehendes. Apud utrumque populum motus civiles, libertas bellaque spiritum poëticum excitaverunt; neque tamen illarum causarum ratio apud utrumque populum prorsus

eadem fuit. Arabes motibus illis civilibus, quibus inde a celeberrimâ illâ epochâ سيل العرم exagitati fuere, in populorum cultiorum, Syrorum, Persarum atque Romanorum contactum devenerunt; quae res non poëseos tantum studium, verum omnem in universum ingenii cultum haud parum juvare debuit. Contra Hebraeis cum incultioribus populis, deserti scilicet Arabici et Palaestinae incolis antiquis, belli maxime commercium fuit, quo neque poëseos studium, neque ingenii cultus in universum multum promoveri potuit. Quare et poëseos et reliquarum artium atque scientiarum studia apud Hebraeos lentius, quam apud Arabes, processêre. Adde, quod et libertatis bellorumque, quas itidem communes poëseos causas Hebraei Arabesque habuerunt, aliquanto diversa apud utrumque populum fuerit ratio. Arabibus inde ab antiquissimis temporibus ardentissimum libertatis studium, ingeniumque bellicosissimum, adeo ut ea gens vix ullo tempore penitus devicta atque subacta fuerit. Quod libertatis studium ingeniumque bellicosum etiam in eorum poësi quam maxime conspicitur. Quinimo haud vereor contendere, poëseos Arabicae summum florem heroicis contineri carminibus. Hebraei libertatis omnino etiam amantes, sed ingenio minus bellicoso fuere. Omnis eorum et publica et privata res ita instituta fuit, ut, agro colendo vel pecori pascendo intenti, intra terrae suae fines se tenerent, et nonnisi illatâ vi coacti arma sumerent hostesque propulsarent. Quo factum, ut plus simplici vice ab exteris populis debellarentur atque subigerentur. Quare et in eorum poësi nequaquam ferox ille bellicosusque animus cernitur, quem magna pars carminum Arabicorum spirat. Haud quidem dissimulandum, heroicam Hebraeorum poësin maximam partem deperditam esse; verum ex paucis, quae adhuc supersunt, hujus generis carminibus et deperditorum indoles dijudicari posse videtur. In illis autem carminibus ferox bellatoris animus pietate in Deum deprimitur, neque victoria de hostibus reportata humanis viribus, sed auxilio divino tribuitur.

§. XXV.

Hae fere causae Hebraeorum Arabumque poësi communes fuere, etsi diversa aliquantum ratione; at vero propriam poëseos Hebraicae causam cultum divinum, cum cantu musicoque lusu conjunctum existimes. Quae causa plurimum ad poëseos Hebraicae indolem valuit, plurimumque discriminis inter Hebraicam Arabicamque poësin intulit. Inde enim evenit, ut praestantissimi quique Hebraeorum poëtae studia sua sacrae poësi dicarent; namque haud exiguo honori esse debuit, ea pepigisse carmina, quae publice in numinis divini cultu decantanda essent. Hinc et celebratissimi illi Hebraeorum reges *David* et *Salomo* sacrae poësi operam navabant; quorum exemplo optima quaeque ingenia ad idem poëseos genus trahebantur. Quibus causis factum est, ut in Hebraeorum poësi carmina sacra primum locum tenerent, reliqua vero poëseos genera minus aestimarentur, minusque excolerentur. Longe aliter apud Arabes res sese habuit. Cum in eorum cultu divino poësi nullus locus esset, facile intelligas, neque sacris carminibus tantam apud eos fuisse dignitatem, quanta apud Hebraeos fuit. Antiquior Arabum poësis maxime in celebrandâ fortitudine bellicâ, recentior in praedicandis virorum principum, quorum beneficiis poëtae utebantur, laudibus versatur. Haud quidem desunt Arabibus carmina sacra, pios in numen divinum sensus, rerumque mundanarum contemtum testantia; quae tamen neque numero, neque spiritu poëtico heroica illa atque laudatoria carmina aequiparant.

§. XXVI.

Sed et Arabum poësi haud defuere propriae suae causae, quae haud parum ad indolem ejus valuerunt. In his antiquissima illa consuetudo in tribuum conventibus populum narrationibus oblectandi. Cum narrationes illae vel in exponendis majorum praeclaris facinoribus, vel etiam in fictis rebus versarentur, factum

est, ut utrumque argumentum et ad poësin transiret; quare haud minima pars antiquiorum carminum Arabicorum vel singulorum virorum praeclarorum, vel universae alicujus tribus laudes praedicat. Ex illis narrationibus et fabulae, quás *Romanenses* vulgo dicunt, originem traxêre; quas elegantissimas Arabes habent, quod vero poëseos genus apud Hebraeos desideratur. Fuere quidem, qui et hujus generis poëmata inter Veteris Testamenti libros deprehendere sibi viderentur; fuere, qui *Ruthae* et *Estherae* librum in fabularum Romanensium numerum referrent; at vero uterque liber, sicuti inferius demonstrabitur, historicis potius libris adnumerandus.

§. XXVII.

Inter causas, quibus apud Hebraeos Arabesque poëseos studium et excitatum et promotum fuit, et prophetarum scholas, *Samuelis* beneficio apud Hebraeos institutas, et conventus Okadhenses, ab Arabibus celebratos, recensuimus. Quamvis utroque illo instituto poëseos studium apud Hebraeos Arabesque egregie promotum fuerit, tamen diversa rursus utriusque instituti ratio. In prophetarum scholis ea maxime tradebantur, quae ad numinis divini cultum, morumque institutionem pertinerent; quare et omne poëseos studium, cui scholarum illarum alumni incumbebant, vel ad res divinas, vel ad morum doctrinam referebatur. Contra cum in Okadhensibus illis conventibus Arabum poëtae concertarent, eas potissimum res carminibus suis celebrabant, quas popularibus suis acceptissimas esse scirent. Cum jam apud priscos illos Arabes vix quidquam tanti aestimaretur, quanti fortitudo bellica et hospitalitas, in his maxime virtutibus celebrandis poëtae *Okadhi* concertantes desudabant.

Quod si ea, quae hactenus de poëseos Hebraicae atque Arabicae causis disputata sunt, colligas, deprehendes, apud Hebraeos omnia fere eo spectasse, ut poësin ad res sacras divinasque diri-

gerent; apud Arabes contra eo, ut eandem artem rebus humanis, maxime vero bellicis, addicerent.

Pars II.

De argumento diversisque generibus carminum Hebraicorum atque Arabicorum.

Cap. I.

De argumento diversisque generibus carminum Hebraicorum.

§. XXVIII.

Cum omnis Hebraeorum res literaria, inque primis poësis, sicuti superius demonstratum, cum religione conjunctissima esset, haud mirandum, maximam carminum Hebraicorum partem ad res sacras morumque institutionem pertinere. Quare optimo jure, id quod *Robertus Lowth* aliique fecere, Hebraeorum poësin *sacram* dixeris. Cujus cum pauca tantum supersint monimenta, juvabit ad penitiorem rei cognitionem singulorum librorum argumentum recensere. Initium a *psalmorum anthologiâ* faciemus, quae *quinque libris centum quinquaginta continet carmina.* Horum carminum diversa argumenta. Sunt, quae numinis divini laudes celebrent, ejusque majestatem, sapientiam atque benignitatem vel ex universâ rerum naturâ, vel ex beneficiis in populum Hebraicum collatis, vel ex auxilio singulis hominibus, probis maxime, improborum violentiâ oppressis, praestito, praedicent. Sunt, quae animi pii sensus, amorem, spem atque fiduciam in Deum exprimant; vel etiam de rebus divinis, iisque, quae ad morum integritatem atque probitatem pertinent, praecipiant. Neque desunt, in quibus montis Jovae dicati, *Zionis*, templique, vel regis Israëlitici dignitas efferatur, vel populi Hebraici res memorabiles ex-

ponantur, doceaturque, quantis beneficiis inde ab antiquissimis temporibus Deus populum suum sibi obstrinxerit. Permagna deinde psalmorum pars in deplorandâ fortunâ adversâ versatur, quâ vel populus Hebraicus in universum, vel singuli Jovae cultores laborabant; quibus querelis preces accedunt, ut adflictis auxilio suo adsit Deus, gratiarumque actio pro praestando vel praestito jam auxilio. Quaesiveris fortasse, qui factum sit, ut tot querula carmina Hebraeorum poëtae fuderint? Haud longe ejus rei causa repetenda. Namque si iniquam perpendamus sortem, quam Hebraei inde a diviso post Salomonis decessum regno, maxime vero exilii Assyriaci atque Babylonici temporibus, subierunt, fateamur necesse est, uberrimam Hebraeorum poëtis fuisse materiam, et populi sui, et suam ipsorum fortunam deplorandi.

§. XXIX.

Psalmos excipiat *proverbiorum liber*, qui *tribus partibus duplicique adpendice* absolvitur. Librum hunc non in uno eodemque versari argumento, sed diversissimas res tractare, ipsa rei natura docet. In *priori libri parte* (cap. I—IX) sapientiae studium commendatur, ejusque studii exponuntur emolumenta. Sapientiae quisquis deditus est, potiorem argento auroque thesaurum inveniet, felicemque et ab omni sollicitudine metuque securam deget vitam. Vitanda improborum agendi ratio, sinceritati in omnibus rebus studendum. Vitandum cum impudicis mulieribus commercium, quod certa manet pernicies; legitimae inhaerendum uxori, cujus dulcissima est familiaritas. Abstinendum a sponsionibus inconsultis; desidia, fraudulentia, superbia, injustitia, falsa testimonia, jurgiorumque irritamenta fugienda. *Altera proverbiorum pars* (cap. X — XXIV) amplam praeceptorum exhibet copiam, quorum pleraque ad vitae morumque pertinent institutionem. Commendatur justitiae studium, ejusque fructus atque praemia proponuntur. Justitiam qui colunt, et durante vitâ, et

post mortem beati praedicandi; injusti contra et vitam degunt miserrimam, et post obitum gravissimis diris obruuntur. Prudenter in omni negotio versandum; prudenti namque consilio optima quaeque adsequeris, imprudentia contra nonnisi ignominiam perniciemque parit. Deo confidendum, cujus auxilio hominum conamina optime procedunt; rixâ abstinendum, pauperes non contemnendi, ebrietas fugienda, inopes non opprimendi, reges atque potentes cavendi, divitiis non inhiandum, et cetera. *Tertia proverbiorum pars* (cap. XXV — XXIX) similia praecedentibus continet praecepta, quae longum esset singula recensere. Agitur inprimis de regum virtutibus, de miserâ stultorum sorte, de desidiâ, simulatione, amicitiâ, rei familiaris curâ, liberalitate, aliisque virtutibus atque vitiis. Ad *duplicem* quod adtinet *adpendicem*, quâ proverbiorum liber clauditur, (cap. XXX, XXXI) sufficiat monuisse, in extremâ posterioris parte uxoris probae virtutes laudesque elegantissimo carmine praedicari.

§. XXX.

Ad proverbiorum librum, argumentum si spectes, proxime accedit *Koheleth*, sive *Ecclesiastes*, quippe qui magnam partem ex ejusmodi sententiis, quales proverbiorum exhibet liber, conflatus est. Omnis autem *Ecclesiastes duabus* potissimum *partibus* et *epilogo* absolvitur. *Prior libri pars* (cap. I — IV, 16) in demonstrandâ rerum humanarum vanitate versatur. Proposito disputationis argumento, vana esse omnia atque inania, sententiae hujus veritas tum ex universâ rerum naturâ, tum ex hominum studiis atque laboribus probatur. In rerum naturâ nil stabile atque constans, omnia eundem per orbem in aeternum moventur. Haud melior rerum humanarum conditio. Tradidit se libri auctor sapientiae primum studio; sed parum bonae frugis inde retulit; namque quo magis doctrinam atque sapientiam augeas, eo magis et curae atque sollicitudo augentur. Postea sensuum voluptatibus

dulsit, haud tamen neglecto sapientiae studio; verum et juncta sapientiae voluptas inanis visa fuit. Praestat quidem stultitiae sapientia; neque tamen a morte et oblivione nos vindicat, eademque sapientem atque stultum manet sors. Quare optimum videtur, genio indulgere, quantum quidem concessum fuerit. Namque hoc ipsum Dei munus est, qui pro arbitrio suo beneficia sua dispensat. Quae cum ita sint, non est, quod tot tantosque labores suscipiant homines; nil enim, quod Deo non libuerit, perficient. Vanas esse atque inanes mortalium res, et inde conjicias, quod, ubi justitiae et aequitati locus esse deberet, injustitia et iniquitas dominentur. Accedit, quod hominum conditio parum differat ab animalium brutorum sorte; namque sicuti haec pereunt, ita et illi exstinguuntur; neque quisquam definiet, quem in locum animus humanus post mortem migraturus sit. His omnibus adde oppressorum miseriam, invidorum contentionem, avarorum laborem, ipsorum denique regum fortunam inconstantem, et fateare necesse est, omnes mortalium res vanas inanesque esse. *Altera libri pars* (cap. IV, 17 — XII, 7) diversa vitae recte instituendae praecepta tradit: Numen divinum animo casto, non victimis colendum; votis temerariis abstinendum, sed quae nuncupaveris, persolvenda. Non dubitandum de providentiâ divinâ, sicubi pauperes opprimantur; divitiis non inhiandum, sunt enim vanae atque fluxae; fruendum bonis a divino numine concessis; nil enim stultius, quam partis non frui divitiis. Seriis potius quam ludicris rebus vacandum; sapientiae studendum, regibus obtemperandum, et cet. Clauditur omnis disputatio *epilogo* (cap. XII, 8 — 14), in quo *Ecclesiastae* commendatur sapientia, librique summa breviter exponitur.

§. XXXI.

Ad *cantici canticorum* argumentum quod adtinet, mira inter viros doctos jam inde ab antiquis temporibus locum habuit dis-

sensio. Ante omnia quaesitum fuit, utrum mirabile illud carmen sensu proprio sit accipiendum, an allegorice interpretandum. Antiquiores Judaeorum et Christianorum interpretes tantum non omnes sensum allegoricum *cantico canticorum* inesse statuerunt. Sic *Aben Esra* in praefatione commentarii sui in canticum canticorum ait: חלילה חלילה להיות שיר השירים בדברי חשק כי אם על דרך משל ולולי גדל מעלתו לא נכתב בסוד כתבי הקדש ואין עליו מחלקת i. e. absit, absit, ut canticum canticorum de amore sensuali agat; contra allegorice omnia accipienda sunt. Nisi enim maxima ejus esset praestantia, nequaquam in librorum sacrorum corpus fuisset relatum; neque ulla de eo dissensio. — Ex Judaeorum sententiâ numinis divini populique Hebraici mutuus amor in cantico illo describitur; contra Christiani, salvatoris sui ecclesiaeque Christianae amores praedicari existimarunt. Recentiorum interpretum plerique allegoricae interpretationi renuntiarunt, et nonnisi humanos amores in *cantico canticorum* depingi contendunt. Ad dijudicandam hanc litem necesse videtur rationes, quibus utraque fulcitur sententia, breviter exponere. Qui *canticum canticorum* allegorice interpretandum esse statuunt, his fere nituntur rationibus: I) Qui veteris Testamenti libros in unum corpus, quod canonem vulgo dicunt, redegerunt, id potissimum spectarunt, ut nonnisi eos admitterent libros, qui ad religionem pertinerent. Quod si vero *cantici canticorum* argumentum in depingendis humanis amoribus versaretur, qui fieri potuit, ut inter libros ad religionem pertinentes reciperetur? Quare necesse est, ut altior carmini illi insit sensus, amorem coelestem, divinum spectans. II) Veteris Testamenti auctores saepissime figuratâ utuntur oratione; inprimis autem illud commercium, quod inter Jovam et populum Hebraicum intercedere credebatur, conjugii instar existimant [56]); quo fit, ut populum a Jovae cultu deficientem adulterii

---

56) Jes. LIV, 5; Jerem. II, 2; Hos. II, 19.

insimulent [57]). Quae cum ita sint, perquam verisimile est, amatorem, de quo in *cantico canticorum* agitur, Jovae vel Christi, et amatricem populi Hebraici, vel ecclesiae Christianae personam sustinere. Cui sententiae majus adhuc inde accedit pondus, quod et recentiorum poëtarum Asiaticorum, inque primis Persicorum, carminibus amatoriis quam saepissime allegoricus, sive mysticus sensus inesse videtur. III) Si proprio *cantici canticorum* sensu adquiescas, plura reperies, quae vel difficillime expediuntur, vel absurda omnino videntur. Quae cap. I, 6, III, 2—4, traduntur, puellam a fratribus suis vinearum custodem constitutam fuisse, noctu urbem peragrasse, juvenem adamatum quo inveniret, inventumque in matris suae conclave deduxisse, haec nisi allegorice accipiantur, nequaquam cum Hebraeorum moribus atque institutis componi possunt. His adde, quae cap. III, 6, IV, 8, leguntur, puellam ex deserto, fumi columnarum instar, adscendere, ex *Amanae* vertice, *Seniri* et *Hermonis* cacumine, ex leonum lustris pardorumque montibus prospicere, et cet., quae omnia, sensu proprio accepta, nonnisi monstra videntur. — His praeprimis utuntur rationibus, qui *canticum canticorum* allegorice interpretandum censent; quibus tamen, contrariam qui sequuntur sententiam, haec fere opponunt: I) In redigendis Veteris Testamenti libris id spectatum fuisse, ut nonnisi ii admitterentur, qui ad religionem pertinerent, probari nequaquam potest. Contra haud pauca in Veteri Testamento continentur, quae vix ad religionem referri possunt. Omissis singulis locis, sufficiat librum *Ruth* nominasse, qui haud magis, quam *canticum canticorum*, ad religionem pertinere censendus est. Hinc colligas, non eos adeo libros, qui ad religionem pertinebant, quam illos, qui genuinis antiquitatis Hebraicae monumentis accensebantur, in Veteris Testamenti corpus receptos fuisse. Sed concedatur, in redigendo

57) Jerem. III, 8, 9; Ezech. XVI; Hos. VII, 4.

Veteri Testamento eorum tantum librorum, qui ad religionem pertinebant, rationem habitam fuisse, quid inde sequitur? Nil, nisi quod et ipsi canonis auctores *cantico canticorum* sensum mysticum inesse putarint; quae tamen hominum illorum opinio nequaquam documento esse potest, mysticum illum sensum ab ipso carminis auctore spectatum fuisse. Constat, Judaeos jam longe ante *Philonem* allegoricâ librorum sacrorum interpretatione delectatos fuisse; haud igitur mirandum, si canonis auctores eam interpretandi rationem et in *canticum canticorum* transferrent, eamque propter causam carmini illi locum inter sacros Veteris Testamenti libros adsignarent. II) Veteris Testamenti auctores omnino figuratâ delectantur oratione; verum imaginibus suis eo utuntur modo, ut et adpareat, dictionem esse figuratam, et sensus imaginis vel ex orationis contextu, vel ex ipsâ auctoris interpretatione pateat. Unde vero in *cantico canticorum* adparet, orationem esse figuratam, unde, quaeso, adparet, quemnam altiorem sensum auctor intenderit, cum ne verbo quidem de mystico carminis sensu lector moneatur? Quod sacri Hebraeorum scriptores, inque primis prophetae, commercium illud, quod inter Jovam et populum Hebraicum intercedere credebatur, connubii imagine proponere soleant, ea profecto res nequaquam arguit, in *cantico canticorum* vel numinis divini populique Hebraici, vel Salvatoris ecclesiaeque Christianae mutuum amorem depingi. Namque connubii in *cantico canticorum* nulla mentio; qui illic describuntur amores non sunt conjugum, verum adolescentis virginisque; neque adolescentulo illi aliquod in virginem imperium tribuitur, quod tamen decebat, si Jovae personam adolescentulus sustinebat. Quod ad recentiorum poëtarum Asiaticorum, inque primis Persicorum, adtinet carmina amatoria, quibus mysticus haud raro sensus inesse videtur, ea certe, cum multorum seculorum intervallo ab Hebraeorum carminibus distent, vix documento esse possunt, *cantici canticorum* quoque sensum mysticum

esse. Accedit, quod et de carminum illorum sensu diverse statuant interpretes; alii namque nonnisi proprium urgent sensum; contra alii altius quid atque divinius indagant [58]). Sed concedatur, carmina illa mystice esse interpretanda, sicubi eam interpretationem poëta aliquo modo innuerit: haud tamen inde conjicias, et *canticum canticorum* mystice interpretandum, cum ne verbo quidem hanc interpretationem cantici illius auctor commendaverit. III) Si proprio sensu in interpretando *cantico canticorum* adquiescas, tantum abest, ut ad absurda deducaris, ut potius omnia optime cedant, modo ne poëtae Hebraici imagines pro nostrorum hominum temporumque sensu dijudices. Quod si quis contendat, offendi in *cantico canticorum* locos, qui proprie accepti cum Hebraeorum moribus atque institutis haud possint componi: videat, ne idem eveniat, si loci illi in sensum allegoricum detorqueantur. Namque in figuratâ oratione haud minus, quam in proprio dicendi genere, morum ratio habenda; quod nisi fit, oratio figurata, quae jam naturâ suâ obscurior est, obscurissima evadet. Quae igitur de puellâ vineas custodiente, vel noctu urbem pererrante in *cantico canticorum* traduntur, a moribus Hebraeorum vix abhorruisse statuendum est; etenim si abhorruissent, neque figuratâ, neque propriâ in oratione locum habere potuissent. Quae praeterea, proprie accepta, mira videntur, haud offendent, si ardentem poëtae Asiatici imaginandi vim respicias; contra multo mirabiliora alia videbuntur, si allegoricam carminis admittas interpretationem. Quid, quaeso, si adolescentuli et puellae personâ Jova populusque Hebraicus, vel Christus et ecclesia Christiana latent, quid, inquam, sibi volunt descriptiones illae, quae cap. V, 10 — 16, VII, 2 — 8, habentur? Nonne ridiculum videtur, Jovae ventrem eburneum eruraque marmorea, populoque

---

58) Jones commentarii de poësi Asiaticâ, ex edit. Eichhornii, p. 188 — 196.

Hebraico umbilicum ad instar crateris rotundi, mammasque gemellis dorcadis similes tribui? Haec et similia minus certe offendent, si amoris humani gaudia in *cantico canticorum* praedicari statuas.

§. XXXII.

Expositis jam rationibus, quibus et mysticus et proprius *cantici canticorum* sensus solet commendari, superest, ut nostram in dubiâ hac re proferamus sententiam. Nos quidem omnino iis accedimus, qui canticum hoc proprie interpretandum censent. Namque in omni interpretandi negotio eam legem ratam firmamque habemus, non esse deflectendum a proprio orationis sensu, nisi gravissimae urgeant causae, quas tamen in cantico canticorum locum habere non videmus. Quare ex nostrâ sententiâ nonnisi humani puellae et adolescentuli depinguntur amores, et quidem in hunc fere modum: Puella rustica adolescentuli dilecti amplexus desiderat, quaeritque, ubi locorum greges suos pascat. Respondet adolescentulus, puellam gregum vestigia sequi jubens; laudibus effert puellae venustatem, vicissimque a puellâ celebratur. Puella adolescentuli vocem audit, eumque montes collesque trajicientem accedere, jamque adstare videt. Invitat puellam adolescentulus, ut se sequatur, pluviosa cum praeterlapsa sit hiems, amoenumque veris tempus advenerit. Puella noctu desiderio adolescentuli capitur, surgit e cubili urbemque peragrat, dilectum quaerens; quem postquam invenit, in matris suae conclave deducit. Vividissimis denuo coloribus adolescens puellae describit pulchritudinem; invitatur a puellâ, ut ipsam invisat, cui invitationi se obtemperaturum pollicetur. Petit noctu domum puellae, ostium pulsat, intromitti cupiens; verum puella, somno gravis, ores aperire cessat, donec morae pertaesus adolescens discedit. Apertis tandem foribus ubi dilectum discessisse videt puella, domo egreditur, urbemque pervagatur, adolescentulum requirens.

Offenditur ab urbis custodibus, verberibusque afficitur. Haud invento adolescentulo puellas Hierosolymitanas obtestatur, sicubi dilectum suum offenderint, ei renuntient, quanto in eum feratur amore. Sciscitantibus puellis, quisnam ille sit, quem tantopere depereat, eximiam dilecti sui pulchritudinem per singula corporis membra describit. In eundem modum et adolescens praestantem puellae formam celebrat. Hinc alternatim puella et adolescens amoris sui vim atque vehementiam praedicant. Finem *cantico canticorum* imponit fratrum puellae deliberatio de custodiendâ, inque matrimonium locandâ sorore; quod tamen fratrum consilium puella aversatur, innuens, se ipsam sui fore custodem.

§. XXXIII.

Jobi liber *tribus* maxime continetur *partibus: prologo*, ipsâ materiae *tractatione*, atque *epilogo*. In prologo et epilogo pedestri sermone utitur auctor; sed in ipsâ materiae tractatione altius insurgit, et poëtico fertur spiritu. *Prologi* argumentum hujuscemodi: *Jobus*, vir pietate insignis, vitaeque bonis adfluens, permittente numine divino, a *Satanâ* omnibus bonis liberisque spoliatur, eo consilio, ut viri pietas tentetur, et, si fieri possit, labefactetur. Neque tamen eâ jacturâ *Jobus* movetur; contra inconcusso animo in pietate perseverat. Tum graviori malo tentandum censet *Satanas;* quare morbo foedissimo, quem elephantiasin vulgo putant, virum adfligit. Sed neque dolores vehementissimi, neque uxoris impiae irrisus a solitâ probitate eum avertere possunt. Accepto ejus rei nuntio tres *Jobi* amici, *Eliphas*, *Bildad* et *Zophar*, adflictum visitare et solatio erigere constituunt. Quem cum adierint atque conspexerint, vehementissime primo, pro orientalium hominum more, lamentantur; dein obmutescunt, non ausi amicum dolentem consolari. Tandem *Jobus* (quod *tractationis* est initium) silentium rumpit, diem natalem suum detestando, felicesque praedicando eos, qui lucem vitalem nunquam conspe-

xerint. Quibus permoti querimoniis *Jobi* amici ex ordine verba faciunt, omnes in eo consentientes, neminem insontem malis vexari, Deum justissimum atque sapientissimum nonnisi improbos punire, *Jobum* procul dubio numinis divini iram delicto aliquo provocasse; quod si illius delicti veniam suppliciter a Deo petat, amissam felicitatem denuo recuperaturum. Contra *Jobus* integritatis suae sibi probe conscius, contendit, sese mala illa, quibus obruatur, nequaquam promeritum esse; haud quidem sibi ignotum, Deum sapientissimum, potentissimum atque justissimum esse, neque tamen nonnisi sontem vexari; quinimo improbos quam saepissime felices, probos contra infelices esse. Haud vereri se, causam suam coram ipso Deo dicere; imo optare, ut sibi cum Deo contendere liceat, quo innocentia probitasque sua in lucem protrahatur. *Jobi* amici ubi vident, illum pertinaciter innocentiam suam tueri, neque monitis ipsorum moveri, contentione desistunt; quâ re permotus *Elihu*, qui hactenus silentium tenuerat, sermonem suscipit contenditque, falli *Jobum*, cum injuriam a Deo pati existimet; Deum justissimum esse, homines vero, quamvis integerrimi sibi videantur, vix omnis culpae expertes esse; neque tamen, quae mortalibus obveniunt mala, semper delictorum esse poenas; Deum interdum et probos castigare eo consilio, ut a peccatis eos avertat, melioresque reddat. Eâ mente et *Jobum* castigari; quod si divinis monitis obtemperet, in pristinam felicitatem restitutum iri. Cum sermonem suum finiisset *Elihu*, Deus ipse in scenam prodit, *Jobi* ejusque amicorum controversiam diremturus. Docet autem ex admirabili hac naturae machinâ tantam esse sapientiam atque potentiam suam, quantam nemo mortalium cogitatione adsequi possit. Arroganter igitur et temere *Jobum* fecisse, quod arcana numinis divini consilio penetrare voluerit, malorumque, quibus adfligatur, causas sciscitari ausus sit. Quibus Dei verbis convictus *Jobus* fatetur se errasse, delictique commissi veniam a Deo petit impetratque. In epilogo

denique memoratur, Deum *Jobi* amicis graviter succensuisse, quod imprudentius disputaverint, illisque injunxisse, ut sacrificio culpam suam expiarent; *Jobum* autem non pristinae tantum felicitati restitutum, verum etiam duplo beatiorem redditum fuisse.

§. XXXIV.

Quae *Threnorum* nomine insigniuntur *Jeremiae* prophetae carmina quinque elegiaca in uno eodemque fere versantur argumento, in deplorando scilicet *Hierosolymorum* excidio, populique Hebraici in remotis hostium terris exilio. Instar viduae desertae florentissima olim *Hierosolymorum* urbs jam desolata est; incolae ejus vel hostili ferro absumti, vel in exilium atque servitutem abrepti sunt. Neque tamen misera haec sors immerentibus evenit; quinimo peccatis suis populus Hebraicus Jovae iram provocavit; quo factum est, ut praesidio divino destitueretur, hostibusque ferocibus subjiceretur. Verum in his ipsis miseriis numinis divini clementia conspicitur; namque si pro merito Deus populum suum tractasset, profecto ad internecionem eum redegisset. Neque semper Jova populo suo irascetur; dummodo is ad Deum suum reversus fuerit, moresque suos emendaverit, feliciori denuo fortunâ fruetur. Praeter populi sui et Hierosolymorum miseram sortem, suam quoque vicem carmine tertio prophetam lugere nonnulli existimant. Sed rectius fortasse statuas, prophetam suo nomine universi populi Hebraici casum deplorare; id quod locus inde a versu quadragesimo ad septimum et quadragesimum usque indicare videtur, quo in loco propheta primâ pluralis numeri utitur personâ in hunc modum:

נחפשה דרכינו ונחקרה ונשובה עד יהוה׃
נשא לבבנו אל כפים אל אל בשמים׃
נחנו פשענו ומרינו אתה לא סלחת׃

Scrutemur vias nostras et pervestigemus, et revertamur ad Jovam,

Attollamus cor nostrum una cum manibus ad Deum in coelis;
Nos peccavimus et contumaces fuimus, tu non condonasti etc.

Accedit, quod nihil in carmine hoc reperiatur, quod ad peculiarem *Jeremiae* fortunam spectet; contra omnia generaliter tantum descripta sint, ita ut ad quemvis alium adversâ cum fortunâ colluctantem pertinere possint. Quare idem illud, quod in multis Psalmis, VI, XII, XIII, XXII, aliisque locum habet, nostro quoque carmini videtur convenire, nempe ut suo nomine universi populi Hebraici acerba fata poëta lu eat.

§. XXXV.

Poëseos Hebraicae monimentis haud immerito et *prophetarum* scripta adjudicantur; namque et sententiarum imaginumque poëticarum plenissima sunt, et oratione utuntur, a sermone pedestri sublimitate rhythmoque ut plurimum diversâ. Librorum propheticorum argumenta sigillatim enarrare longum esset; neque id adeo necessarium videtur, cum omnes eandem fere tractent materiam. Sufficiat igitur ostendisse in universum, in quo potissimum argumento prophetarum Hebraicorum versentur vaticinia. Jam superius monitum fuit, Hebraeorum prophetis id maxime negotii incubuisse, numinis divini cultum ab omni corruptione salvum ut servarent, morumque probitatem populo commendarent. Hinc facile colligas, in utroque hoc loco vaticiniorum praeprimis versari argumentum. Castigantur igitur a prophetis, quae inter populares suos potissimum vigebant vitia; in his contemtus numinis divini, idolorum cultus, injustitia, maxime erga egenos inopesque, arrogantia, luxuria, avaritia et similia. Docetur, omnes casus adversos, qui populo Hebraico obveniant, impietatis morumque perversorum esse poenas; nisi ad saniorem vivendi rationem populus redeat, graviora adhuc mala subsecutura. Quae ubi minitantur prophetae, temporum suorum historiam adeunt, exemplisque inde petitis monitis minisque suis pondus addunt.

In hunc modum *Joël* diram illam patriae suae per locustarum agmina vastationem, quae suâ accidit aetate, numinis divini irâ immissam praedicat, hortaturque populares suos, ut malefactorum poenitentiâ precibusque iram divinam avertere studeant. Haud aliter et *Jesaias* damna illa, quae *Achazo* imperante, factâ per Syriae Israëlisque reges incursione, Judaea acceperat [59]), delictorum poenas a Deo inflictas dicit, gravioresque ab Assyriis calamitates populo suo imminere portendit, nisi is ad meliorem frugem se recipiat. Neque tamen vituperationem minasque tantum fundunt prophetae; contra, quoties populares suos reprehendunt, toties fere eosdem erigunt atque solantur. Etsi populus Dei in praesentiarum propter delicta sua in miseriis versetur, tamen, si resipuerit, Deum denuo propitium habebit, meliorique fruetur fortunâ. Eveniet aliquando, ut, quae populum Hebraicum vexarunt gentes, a Deo puniantur Hebraeisque subjiciantur; eveniet, ut *Davidis* ex prosapiâ eximius aliquis rex emergat, cujus sub imperio laetissima Dei populo affulgebunt tempora. In hunc modum *Joël* (ut iisdem, quos jam laudavimus, prophetis inhaereamus) populares suos consolatur, futurum; si ad meliorem frugem redierint, ut non tantum damna, quae locustarum irruptione passi sint, resarciantur, verum etiam summa felicitas ipsis contingat; contra, inimicae Dei populo gentes gravissimis a numine divino poenis adficiantur. Haud aliter et *Jesaias*, populum suum postquam corripuit, eundem consolatur, exorturum aliquando Davidis ex prosapiâ regem pium, justum, sapientem, longe lateque dominantem, quo sceptra tenente omnes gentes Hebraeis subjicientur, laetissimaque his tempora affulgebunt [60]). Quod si paucis omne vaticiniorum Hebraicorum argumentum exponere velis, brevi hac absolvetur sententiâ: populum Hebraicum felicem futurum,

59) Jes. I, 4—9, VII, 1, 2.

60) Jes. IX, 5, 6, XI, 1 sequ.

si animo sincero Deum suum colat; contra infelicem, si a pio numinis divini cultu desciscat.

§. XXXVI.

Praeter ea, quorum argumentum hactenus exposuimus, poëseos Hebraicae monimenta, in historicis Veteris Testamenti libris singula quaedam occurrunt carmina, haud silentio nobis praetereunda. In his I) *Jacobi morituri ad filios suos oratio*, 1 Mos. XLIX, 2—27, in quâ duodecim populi Hebraici tribuum sors breviter exponitur; II) *epinicium, superato feliciter mari rubro ab Israëlitis decantatum*, 2 Mos. XV, 1—19, quod numinis divini potentiam, servatis mirum in modum Hebraeis, perditisque Aegyptiis conspicuam, celebrat; III) *Bileami vaticinia*, 4 Mos. XXIII, 7—10, 18—24, XXIV, 3—9, 15—24, populo Hebraico optima quaeque precantis atque praesagientis; IV) *Mosis carmina bina*, 5 Mos. XXXII, 1—43, XXXIII, 2—29, quorum prius Jovae beneficia in populum Hebraicum collata effert, populi illius ingratum animum reprehendit, gravesque casus minatur, nisi ad meliorem frugem revertatur; alterum singulis gentis Israëliticae tribubus fausta quaeque precatur; V) *epinicium Deborae atque Baraki*, devicto *Siserâ* pronuntiatum, Judd. V, 2—31, in quo auxilium, quod in debellandis Cananaeis Jova populo suo praestiterat, praedicatur; VI) *hymnus Channae*, pro concesso sibi filio *Samuele* Deo grates agentis, 1 Sam. II, 1—10; VII) *Davidis carmen elegiacum in Sauli et Jonathanis obitum*, 2 Sam. I, 19—27; VIII) *ejusdem Davidis carmina bina*, 2 Sam. XXII, 2—51, XXIII, 1—7, quorum prius, haud diversum a psalmo XVIII, gratiarum continet actionem pro divino auxilio, quod in atrocissimis periculis *Davidi* contigerat, alterum provecti jam regis fiduciam exprimit, regni heredem nunquam ipsi defuturum.

§. XXXVII.

Exposito poëseos Hebraicae argumento, videndum, quaenam

carminum genera apud Hebraeorum poëtas in usu fuerint. In definiendis carminum generibus et argumentum, et externa carminum forma spectari vulgo solet; verum cum Hebraicorum carminum forma externa, sicuti inferius demonstrabitur, simplicissima sit, in definiendis carminum Hebraicorum generibus nonnisi argumenti ratio habenda videtur. Omnis autem Hebraeorum poësis *duplici maxime genere* continetur: *lyrico* nempe atque *didactico*. Lyrica poësis et antiquissima apud Hebraeos fuit, et latissime patens. Bellis maxime et numinis divini cultu excitata mirumque in modum per prophetarum scholas Davidisque regis operâ promota atque exculta fuit. Sicuti Graecorum, ita et Hebraeorum lyrica poësis non sine cantu, musico lusu tripudioque exercebatur; quâ cum cognatis artibus conjunctione haud parum adjuta fuit. Legimus 2 Mos. XV, 20, 21, *Mariam*, *Aharonis* sororem, ceterasque mulieres Hebraeas inter tympanorum pulsum atque tripudia hymnum in mirabilem illum per mare rubrum transitum decantasse; eundem in modum Israëlitarum mulieres ad tympanorum et triangulorum sonitum *Saulum Davidem*que a Philistaeorum caede reversos carmine celebrant [61]). Plurimum vero dignitatis lyricae Hebraeorum poësi ex illâ cum cantu lusuque musico conjunctione additum *Davidis Salomonis*que tempore, quo inter cultum divinum carmina sacra magnifico quam plurimorum instrumentorum musicorum cum concentu decantabantur [62]).

§. XXXVIII.

Lyricae poëseos diversae species, pro diversitate affectuum, qui exprimendi sunt. Quod si pios in Deum sensus profundas, hymnus prodibit; si animi dolorem promas, elegiam habebis; si teneros amoris motus, carmen eroticum, etc. In Psalmorum an-

---

61) 1 Sam. XVIII, 6, 7.

62) 1 Chron. XXV; 2 Chron. V, 12, 13.

thologiâ quam plurimae lyricae poëseos species obviam sunt; habentur enim illic hymni, odae, cantica et elegiae. Carminum elegiacorum magnus olim numerus apud Hebraeos exstitisse videtur. Jam inter psalmos frequentissimae elegiae; quibus accedunt *Jeremiae* prophetae *threni*, *Davidis* in *Sauli* et *Jonathanis* nec non *Abneri* obitum carmina lugubria [63]). Adde, quod 2 Chron. XXXV, 25, *lamentationum* nomine, קִינוֹת, volumen memoratur, in quo *Jeremiae* aliorumque poëtarum elegiaca carmina in *Josiae* regis obitum continebantur. Haud quidem desunt, qui lamentationes has haud diversas a *Jeremiae threnis*, qui adhuc superstites sunt, existiment; quam sententiam jam *Josephus* et *Hieronymus* praeivere. Etenim *Josephus* Antiquit. l. X, c. 5, memorato Josiae obitu tradit: *Ἰερεμίας δ' ὁ προφήτης ἐπικήδειον αὐτοῦ συνέταξε μέλος θρηνητικὸν, ὃ καὶ μέχρι νῦν διαμένει,* i. e. Jeremias autem propheta in funus ejus (Josiae) carmen lugubre condidit, quod etiamnum superest. Haud aliter *Hieronymus* in commentario ad Zachar. XII, 11: „Super quo *(Josiâ)* lamentationes scripsit *Jeremias*, quae leguntur in ecclesiâ, et scripsisse eum, paralipomenon testatur liber.“ *Josephum Hieronymum*que et recentiorum nonnulli secuti sunt; quorum tamen sententiae quominus accedamus obstat, quod in *Jeremiae threnis* superstitibus nihil omnino reperiatur, quod ad *Josiam* commode possit referri. Nihil illic de optimi regis pietate in Deum, nihil de templi cultusque divini restitutione, nihil de tristissimâ ejus in bello contra *Nechonem*, Aegypti regem, morte; quae profecto nequaquam silentio praetereunda erant, si carmina illa in memoriam *Josiae* composita fuissent.

---

63) 2 Sam. I, 19 — 27, III, 33, 34. Quae in posteriori loco traduntur Davidis in Abneri obitum verba, nonnisi fragmentum longioris carminis elegiaci esse videntur.

§. XXXIX.

Ad lyricam poësin, et quidem ad eroticorum carminum speciem, elegantissimum illud *canticum canticorum* referendum. Etsi eroticae Hebraeorum poëseos unicum id supersit monimentum, haud tamen dubitandum, illud poëseos genus Hebraeis acceptum et excultum fuisse. Constat, sponsam apud Hebraeos cantu musicoque lusu in sponsi domum deductam fuisse [64]); quâ occasione certe et amatoria carmina cantabantur. Notum est ex *Jesaiae* cap. V, 12, XXIV, 8, 9, ad epularum gaudia cantum citharaeque et tibiarum lusum adhibitum fuisse; at vero quodnam carminum genus potatoribus convenire magis potuit, quam Anacreonticum, quod vini et amorum gaudia celebraret? Inde colligas, haud defuisse Hebraeis carmina amatoria, quorum jactura eo magis dolenda, quo magis unicum illud eroticae Hebraeorum poëseos superstes monimentum et affectuum ardore, et imaginum splendore sese commendat. Ad eroticam poësin praeter canticum canticorum et psalmus XLV a nonnullis refertur. In his *Rudingerus, Grotius* aliique, qui laudatum psalmum epithalamium, *Salomoni* ejusque uxori, *Pharaonis* filiae, dicatum, existimant. Verum si quis psalmum illum accuratius relegerit, intelliget sane, nequaquam esse carmen amatorium, sed potius oden in ignotum aliquem regem, fortasse Persarum, cujus pulchritudo, fortitudo, justitia atque magnificentia laudantur. Quae de regis uxore illic, v. 10 — 16, habentur, nonnisi ad ipsius regis magnificentiam exornandam memorata videntur [65]).

---

64) Jer. VII, 34, XXV, 10.

65) Quae in psalmi hujusce inscriptione occurrunt verba שיר ידידות perperam a nonnullis vertuntur *carmen amatorium*. Proprie verba illa sonant: *carmen suavitatum*, i. e. carmen suave, venustum, *ἆσμα προςφιλίας*, sicuti Aquila interpretatur.

§. XL.

Alterum poëseos Hebraicae genus est *didacticum*, cui psalmorum aliqua pars, proverbiorum collectio, ecclesiastes *Jobi*que liber adnumerandi. Didacticae poëseos diversae species, sive argumentum, sive formam poëmatum spectes. Hebraeorum poëmata didactica, ad argumentum quod attinet, eatenus conveniunt, ut vel ad res divinas, vel ad vitae morumque institutionem pertineant; verum ad formam si spectes, nonnihil inter se differunt. Psalmi didactici proverbiorumque liber sententiis parum cohaerentibus continentur; quare ad eandem cum Graecorum carminibus gnomicis speciem referendi. In ecclesiaste et *Jobi* libro cohaerentem magis deprehendes orationem; differt tamen ab ecclesiaste *Jobi* liber in eo, quod dialogo utatur. Quae res nonnullos induxit, ut *Jobum* dramaticae adnumerarent poësi, quinimo ad justi dramatis instar in actus scenasque digererent. At vero dramaticae poëseos proprietas non in eo tantum conspicitur, ut plures inter se colloquentes personae inducantur; requiritur praeterea, ut et fabula aliqua sive actio exponatur. In *Jobi* autem libro nullam agi fabulam, nemo est, qui non videat. Etenim quae in prologo et epilogo de *Jobo* memorantur, non ad ipsam libri materiam pertinent; et nonnisi in eum finem addita sunt, ut lectores de causis atque eventu disputationis edoceantur. In ipsâ vero disputatione neque agitur quidquam, neque actum memoratur; omnia verbis, non factis transiguntur. Accedit, quod poësis dramatica, qualem Graeci, Romani et recentiores Europae gentes exercuere, a populis Semiticis neque unquam culta fuerit, neque omnino sensui moribusque eorum convenisse videtur; quare neque Arabes, vel eo ipso tempore, quo Graecorum literis strenuam navabant operam, illud poëseos genus unquam admiserunt [66].

---

66) Uberius quaestionem hanc persecutus est *Robertus Lowth* in praelectione XXXIII de sacrâ poësi Hebraeorum; in quâ demon-

Quare rectius illi sentiunt, qui neque *Jobi* librum, neque ecclesiasten ad nostrae poëseos speciem aliquam referunt; verum

stratur *Poëma Jobi non esse justum drama.* Recentioribus temporibus doctiss. *Ewald* in commentatione *de Hebraeorum poësi,* quam librorum Veteris Testamenti poëticorum interpretationi praemisit, p. 38 — 50, non tantum *Jobi* librum, verum etiam *canticum canticorum* dramaticae poësi accensendum esse censuit, eâ tamen restrictione, quod nonnisi primas poëseos dramaticae lineas carminibus illis contineri, neque ea cum Graecorum Indorumque poësi dramaticâ componenda esse dicat. — Neque tamen vel ea sententia viro erudito se probavit, qui de *Ewaldi* libro retulit in ephemeridibus literariis Halensibus anni 1839, nro. 191 — 193. Namque is et *psychologicis* et *historicis literariis*que rationibus contendit, Hebraeos a poësi dramaticâ omnino fuisse alienos. Haud ab re videtur, ipsa viri docti in medium proferre verba: „Wir begegnen hier der Frage, ob denn wirklich die Hebräer ein Drama gehabt? Wir sagen nein, *aus psychologischen Gründen*, in so fern diejenige Geistesrichtung, welche die Semiten hinderte ein Epos zu produziren, noch vielmehr das Drama ausschloss, weil in diesem der Dichter nicht nur überhaupt sich vergessen, sondern in fremde Individualität übergreifen, ein Andrer werden, sein Wesen gegen Fremdes umtauschen muss, was er nicht kann, wenn er jenes nicht gelernt hat. Wir sagen nein, *aus historischen Gründen,* weil nie und nirgends ein Volk das Drama vor dem Epos gebildet hat, viele dagegen bei dem Epos stehen geblieben, und nie zum Drama gelangt sind. Wir sagen nein, *aus literärischen Gründen,* weil, wenn *Hiob* ein Drama ist, auch *Plato* und *Cicero* Dramatiker sind, und weil wir *Ewald's* Erklärung des hohen Liedes nicht für natürlich, ungezwungen und einleuchtend halten können. — — — Ueberhaupt hätten wir lieber nur *zwei* Arten Hebräischer Dichtung unterschieden, die *lyrische,* שיר, nach dem Inhalt sich sondernd in patriotische, erotische, elegische, religiöse; und die *didaktische,* משל, begreifend das eigentliche kürzere oder längere Lehrgedicht, die Gnome, das Räthsel, die Fabel, die Parabel.“

utrumque poëma cum Arabum *consessibus*, مقامة, quales *Hamadani*, *Hariri* aliique scripsere, componunt.

§. XLI.

Utrumque poëseos Hebraicae genus, *lyricum* nempe atque *didacticum*, in prophetarum vaticiniis compositum mixtumque conspicitur. Ubi populares suos docent, monent, hortantur prophetae, oratio eorum ad didacticam accedit poësin; verum quotiescunque doloris vel spei sensus exprimunt, lyricum colorem induunt. Cum tamen corrigendo praeprimis monendoque populo intenti sint prophetae, potissima vaticiniorum pars didacticae poësi tribuenda videtur. Ceterum notissimum est, non omnium vaticiniorum orationem esse poëticam; id quod maxime in seriorum prophetarum vaticiniis cernitur. Poëtico potissimum dicendi genere utuntur *Jesaias*, *Joël*, *Micha*, *Nahum*; contra ad pedestrem quam saepissime descendunt orationem *Jeremias*, *Ezechiel* et *Zacharias*; quinimo *Jonae* liber, etsi propheticis adnumeretur scriptis, neque argumentum quod attinet, propheticus, neque orationem si spectes, poëticus est; siquidem *Jonae* prophetae, a Deo ad Ninivitas missi, mirabiles casus sermone pedestri, excepto prophetae in Deum hymno, cap. II, 3 — 10, exponit.

§. XLII.

Praeter ea, quae hucdum laudavimus poëseos genera, *apologos* quoque Hebraeis usitatos fuisse, discimus ex Judicum libro cap. IX, 8 — 15, quo in loco pulcherrimus de arboribus regem sibi creantibus apologus exponitur. Fuere, qui et *fabulas*, quos vulgo *Romanenses* dicunt, inter Veteris Testamenti libros haberi existimarent [67]; in quarum numerum *Ruthae* et *Estherae* librum retulerunt. Haud quidem negari potest, in utroque, maxime in

---

67) Augusti primae lineae introductionis in Vet. Testam. edit. II, p. 217, 274.

Estherae libro, plura occurrere, quorum fidem historicam in dubium vocare possis; neque tamen illorum librorum auctoribus propositum fuisse videtur, fabulas conscribere, cum alter eorum (*Ruthae* auctor) genealogiam *Davidis* regis narrationi suae attexuerit; alter vero (*Estherae* auctor) festi illius, cui *Purim* nomen, originem docere voluerit. Quare uterque liber historicis potius, quam poëticis Hebraeorum scriptis videtur adnumerandus. Rectius fortasse *Jonae* librum in fictarum narrationum numerum referas, cujus auctori, ni fallimur, propositum fuit, Ninivitarum sub personâ ostendere, Deum non solum Judaeis, verum etiam gentilibus propitium fore, si ad bonam frugem revertantur.

Cap. II.

De argumento diversisque generibus carminum Arabicorum.

§. XLIII.

Poëtarum Arabicorum cum infinitus fere sit numerus, vix quisquam existimabit, nos, quod in Hebraeorum poësi fecimus, singula poëseos Arabicae monimenta recensituros, eorumque argumentum expposituros esse. Quod si vel gestiret animus, haud tamen praestare possemus; siquidem neque nobis, neque cuiquam alii, contigit esse tam felicibus, ut cuncta poëseos Arabicae monimenta, quae in diversissimorum locorum thesauris literariis adservantur, evolveremus. Neque id pro nostri instituti ratione necessarium omnino videtur; sufficiet, in universum exposuisse, quasnam res Arabum poëtae tractandas sibi sumserint, quâve ratione easdem tractaverint; unde palam fiet, quae, quotve carminum Arabicorum genera statuenda sint. De carminum Arabicorum argumento diversisque generibus haud ineptus habetur locus in prologo operis, quod inscribitur: كتاب الحماسة البصرية, *Collectio carminum heroicorum Basrensis*, auctore *Ali ben Abilfaradsch Basrensi*; quem locum ex *Casirii Bibliothecâ Arabicâ* hic appo-

nere liceat [68]: ثمّ انّ الشعر على اختلاف معانيه واصوله ينقسم الى اوصاف فما وصف به الانسان من الشجاعة والشدّة فى الحرب والصبر سمّى حماسة وبسالة وما وصف به من حسب وكرم سمّى مدحا وما اثنى عليه من ذلك سمّى رثآء وما وصف به اخلاقه الحميدة من حيآء وعفّة وغير من الفضائل سمّى ادبا وما وصف به النسآء من حسن وجمال وغرام بهنّ سمّى غزلا وما وصف به من بخل وجبن وسوء خلق سمّى هجآء وذمّا وما وصف به الاشيآء على اختلاف اجناسها وانواعها سمّى نعتا ووصفا وملحا وما ذكر به الانابة الى اللّه ورفض الدنيا وتغلّبها سمّى زهدا i. e. Porro poësis pro diversitate sensus atque originis dividitur in diversa genera. Quodsi strenuitas, fortitudo in bello atque tolerantia describuntur, بسالة, حماسة, *poësis heroica* adpellatur; si nobilitas atque generositas, مدح, *encomiastica;* quodsi quis illas propter virtutes laude atque gratiarum actione celebratur, رثآء, *epicedium* dicitur [69]; si mores laudabiles, pudor, abstinen-

---

68) Casirii biblioth. Arab. Escurial. t. I, p. 77.

69) Casirius vocabulo رثآء *carmen probrosum* denotari existimat; quod quâ auctoritate fecerit, non habemus compertum. At vero vocabulo illo nequaquam carmen probrosum, verum lugubre, sive epicedium significari, discimus ex Kamuso, ubi t. II, p. 1881 edit. Calcutt. haec habentur: رثيا ورثاء ورثاية بكسرهن ومرثاة ومرثية مخفّفة ورثوته بكيته وعدّدت محاسنه كرثّيته ترثية وترثّيته ونظمت فيه شعرا وحديثا عنه ارثى رثاية ذكرته وحفظته ورجل ارثى لا يبرم امرا ورثى له رحمه ورقّ له وامراة رثّاءة ورثّاية نوّاحة i. e. verbum رثا, cuius infinit. مرثية, مرثاة, رثاية, رثاء, رثيا, significat deflevit defunctum, ejusque benefacta enumeravit. In conjug. II et V, composuit carmen de aliquo, ejusque dicta factaque enarravit; رثا, fut. A, infinit. رثاية, memoravit et me-

tia aliaeque virtutes describuntur, ادب, *carmen ethicum;* si mulierum venustas, pulchritudo amorque erga illas, غزل, *eroticum;* si avaritia, ignavia ingeniique pravitas, ذمّ, هجاء, *satyricum* atque *probrosum;* si res pro generis atque speciei varietate describuntur, املح, وصف, نعت, *descriptivum lepidum*que; quodsi denique conversio ad Deum, rerumque mundanarum contemtus atque devictio memorantur, زهد, *carmen religiosum*, sive *paraeneticum* adpellatur [70]). — Etsi hoc in loco, sive carminum Arabicorum argumentum, sive diversa genera spectes, nonnulla desiderentur, tamen, quia Arabem auctorem habet, eo duce in exponendo poëseos Arabicae argumento utemur, additis, quae addenda, curatiusque definitis, quae curatius definienda videntur.

---

moriae mandavit; أرثى dicitur is, qui non adficitur taedio rei; رثى sequ. ل p. misericordiâ teneroque erga aliquem adfectu motus fuit; رثّاية, رثّاءة mulier plangens, praefica.

70) Quaenam carminum genera Arabibus maxime in usu sint, discas etiam ex titulis, qui singulis anthologiarum Arabicarum capitibus inscribuntur. Celebratissima illa *Abi Temmam* anthologia, cui *Hamasae* nomen, in X distribuitur capita, quae in hunc modum inscribuntur: 1) باب الحماسة, *de fortitudine bellicâ;* 2) باب المراثى, *epicedia;* 3) باب الادب, *de morum humanitate;* 4) باب النسيب, *mulierum laudes*, sive *carmina amatoria;* 5) باب الهجاء, *satyrae;* 6) باب الاضياف والمديح, *hospitalitatis atque generositatis laudes;* 7) باب الصفات, *descriptiones;* 8) باب السير والنعاس, *ignaviae reprehensio;* 9) باب الملح, *salse dicta;* 10) باب مذمّة النساء, *mulierum vituperatio.* Similí modo et *Hasani Abi Nawwas* anthologia poëtica in X dividitur capita, quae in eodem fere argumento, atque *Hamasae* capita, versantur. Casirii biblioth. Arab. t. I, p. 75, 76.

§. XLIV.

Primus locus illis tribuitur carminibus, quae in *praedicandâ fortitudine bellicâ* versantur. Neque immerito huic carminum generi primae adsignantur partes, siquidem antiquiores Arabum poëtae nullâ magis re delectantur, quam describendis pugnis, et efferendâ virtute bellicâ. Notissimum est, Arabum gentem inde ab antiquissimis temporibus in plures tribus divisam fuisse, quae nonnisi suis proceribus, quos *Scheichos Emiros*que dicunt, parerent, et libertatem nominisque gloriam vitâ potiorem aestimarent. Inter tribus illas continua vel laudis, vel jurum obtinebat aemulatio; unde creberrima dissidia bellaque exorta. Haec bella uberrimam poëtis carminum componendorum materiam ministrabant; maxime ubi poëtae ipsi, quod saepissime evenit, pugnis interfuissent, partaeque victoriae aliquam partem sibi vindicarent. Namque quod antiqua Graecia de *Tyrtaeo* suo *Aeschylo*que memoriae prodidit, utrumque et strenui bellatoris et egregii poëtae partes sustinuisse, id eodem jure de *Antara*, *Tarafa*, *Taabbata Scharran* aliisque Arabum poëtis praedicaveris. Iidem, ut *Jonesii* utamur verbis, qui victoriam reportaverant, et victoriae praecones erant, quotque in bello heroës, tot paene poëtae admirabiles exstiterunt [71].

§. XLV.

Quod jam ad *heroica* illa adtinet *carmina*, tria potissimum sunt, quae prae ceteris in illis celebrantur: ipse nempe *belli heros*, *gladius equus*que *bellicus*. Arabum *heroës* vigilias, inediam gravissimosque inconcusso animo tolerant labores, vastas pervagantur solitudines, inque ferarum lustris pernoctant, ut corpus animumque ad belli negotium indurent, vel illatos sibi ab hosti-

---

71) Poëseos Asiaticae Commentar. p. 231, editionis ab Eichhornio adornatae.

bus injurias ulciscantur. Ubi in proelium ruunt, leonum instar saeviunt, neque a pugnâ desistunt, donec vel in fugam conversi, vel ad internecionem deleti sint hostes. Nullus eorum placide diem supremum obit, omnium vita gladiorum mucronibus profunditur. Quae committunt proelia diutissime in hostium memoria vigent, etc. *Gladius* ut plurimum est Indicus, cujus acies nunquam hebescit, at vero a crebris ictibus crenas accepit. Cum stringitur, in tenebris, quas excitatus a pugnantibus pulvis contraxit, sol oriri videtur; cum in hostium capita defertur, violentâ percussione ignis excutitur, quem tamen profluens e vulnere sanguis illico exstinguit. *Equus bellicus* gracilis est; cruribus struthiocameli, et hypochondriis dorcadis praeditus. Latera ejus valida, dorsum laeve firmumque instar saxi. Ardore exaestuans hinnitum edit, instar aheni fervescentis e pectore ebullientem. Celeritate ventum praevertit, et ad impetum, et ad fugam aptissimus.

§. XLVI.

Inter carmina heroica praecipuum sibi vindicant locum illa, quae *sanguinis vindictam* celebrant. Jam inde ab antiquissimis temporibus apud Arabes, sicuti etiam apud Hebraeos aliosque orientis populos, mos obtinuit, sanguinem sanguine, caedem caede ulciscendi. Quare si caedes aliqua perpetrata esset, illi, qui occisum cognatione proxime attingeret, necessitas incumbebat caedem patratam ulciscendi, neque a proposito desistendi, donec eum, qui caedem commiserat, quocunque demum modo interfecisset. Quod si vero huic officio, quod sanctissimum putabatur, satisfacere nollet, summo ab omnibus popularibus suis despectui habebatur. Quod officium cum tanti facerent Arabes, non potuit fieri, quin, ubi implevissent, gloriarentur, carminibusque vindicatae caedis memoriam mandarent. Quibus in carminibus is, cui vindicandae caedis incumbit officium, jurejurando se obstringit, sese maculam, quam cognati caedes sibi insperserit, nonnisi adversarii sui sanguine eluturum. Huic uni intentus negotio, cetera

omnia parvi pendit; interdiu noctuque deserta peragrat, adversarium quaeritans; raro somnos carpit, vino sibi interdicit, imo atrocissimam sitim inediamque tolerat, dummodo voti sui compos fiat. Cum denique adversarium assecutus fuerit, hastam gladiumve suum largissime illius sanguine rigat, lautissimasque lupis, hyaenis avibusque rapacibus epulas occisi cadavere parat.

§. XLVII.

Secundus locus *encomiasticis* tribuitur carminibus, quae pro diversitate rerum vel personarum, quae laudibus efferuntur, diversi sunt argumenti. Vel enim numinis divini majestas, potentia, sapientia atque benignitas, vel magni illius prophetae *Mohammedis* praestantia, vel principum, heroum, aliorumque insignium virorum virtutes celebrantur. Numinis divini *Mohammedis*que laudes vel ex instituto, vel etiam aliud agentes Arabum poëtae praedicant. Solent enim in amplioribus carminibus suis, cujuscunque ea sint argumenti, priusquam ad ipsius argumenti tractationem transeant, tantum non semper Deum optimum, maximum, ejusque legatum Mohammedem laudibus efferre. Neque tamen hunc morem poëtae proprium sibi vindicant; quinimo et qui solutâ oratione utuntur auctores, constanter tritissimo illo الحمد لله, laus sit Deo, ordiuntur. Inter numinis divini laudes hanc prae ceteris celebrant, quod Dei nutu immensa haec rerum universitas ex nihilo procreata sit, ejus beneficio hominibus ratio contigerit, quâ, quod rectum pravumque sit, discernere possint, ab ejus denique voluntate, in aeternum firmâ ratâque, quaecunque evenerint, sive bona, sive mala, pendeant. In *Mohammedis* sui laudibus effusissimi sunt Arabum poëtae, ut vel ex uno illo *Abi Abdullah Busiridae* carmine panegyrico, cui *Bordah* nomen, apparet. In hoc carmine, quod maximi a *Mohammedis* sectatoribus aestimatur, magnus ille propheta praestantissima omnium rerum creatarum creatorisque deliciae dicitur. Idem omnium

virtutum exemplar, omnisque excellentiae quasi sol; reliqui prophetae stellae, quae nonnisi illius lumen hominibus in ignorantiae tenebris versantibus reddunt. Fatigatur mens humana cognoscendis ejus virtutibus, namque immensae sunt; quicunque illi inhaerent, fune rumpi nescio tenentur. Sicuti leo scymnos suos in saltibus tutatur, ita *Mohammed* religione, quam condidit, sectatores suos tutos salvosque reddit. Nulli odores illius terrae halitum aequant, quae divini legati ossa recepit; beati, quibus contigit halitum illum haurire, terramque illam deosculari. — Ubi principum heroumque laudes praedicandae sunt, praeprimis liberalitas eorum et fortitudo bellica celebrantur. De fortitudine bellicâ jam superius actum fuit; quod ad liberalitatem attinet, ea multis modis exaggeratur. Vir liberalis est instar nubis, copiosissimam pluviam sitientibus agris largientis; frigoris tempore solis more calorem fundit, et ardente *Sirio* umbram atque refrigerationem praestat. Lautissimas inter opes macie conficitur; namque sui immemor, amicos hospitesque beneficiis cumulat. Quod si die resurrectionis donum ab eo peteres, haud cessaret largiri tibi ab aeternis illis opibus, quas jejunio precibusque durante vitâ sibi comparaverat.

§. XLVIII.

Carmina encomiastica excipiunt *funebria*, sive *elegiaca*, quorum haud pauca, eaque elegantissima Arabes habent. Celebrantur in iis illae maxime defunctorum virtutes, quas Arabes prae ceteris suspiciunt, liberalitas nempe et fortitudo bellica. Erepto sibi per mortem amico, queritur poëta, sese desolatum illique similem esse, cui, irruentibus hostibus, gladius ereptus sit. Miratur, quâ ratione exiguo tumulo tanta defuncti liberalitas condi potuerit, quantam vix terra et maria cepissent. Sed et ipsa liberalitas jam mortua est, siquidem vivam exiguus ille tumulus minime comprehendere potuisset. Dum viveret, qui jam

tumulo clauditur, haud cuiquam alii licuit inclarescere; ipse enim virtutibus suis omnium gloriae officiebat. Margarita erat pretiosissima, cujus dignitatem non pro merito aestimabant homines; quapropter rursus in concham a Deo recondita fuit. Lugent defunctum coelum terraque, obscuratur sol, pluvia ventique vestes prae moerore scindunt. Utinam nubes matutinae imbre copioso tumulum rigent, semperque virentem reddant. — Haud raro elegiaca Arabum carmina vehementiori feruntur spiritu, quam pro nostro sensu, ad poëtarum Graecorum Romanorumque exemplaria expolito, elegis convenire putatur. At vero omnis hominum orientalium sentiendi ratio incitatior atque vehementior quam occidentalium; quare et doloris sensus, et qui illum exprimunt, planctus threnique incitatiores erunt atque vehementiores. Quod vero *Eichhornius* contendit [72]), Sultani *Chalili* interitum ab *Ebn Arabschah* in vitâ *Timuri* carmine defleri elegiaco, quod imaginibus, tropis figurisque nimium elatis turgeat, nescio quâ imprudentiâ, aut quo memoriae lapsu factum sit. Namque ejusmodi carmen in *Chalili* obitum nuspiam in *Timuri* vitâ offenditur; nisi forte versiculum sat jejunum, quem *Schadimolka*, *Chalili* uxor, audito mariti obitu protulisse dicitur, carminis elegiaci nomine velis insignire. Suspicamur, *Eichhornio* carmen illud, quo narratio de *Timuri* obitu clauditur [73]), obversatum fuisse, quod tamen non elegiacis, verum probrosis adnumerandum carminibus.

§. XLIX.

Poësin elegiacam sequitur *ethica*, cujus haud exigua apud Arabes habentur monimenta. Genti Arabicae jam naturâ suâ

---

72) Historia literaturae tom. I, p. 593.

73) Ahmedis Arabsiadae vitae et rer. gestar. Timuri historia, ex edit. Mangeri, t. II, P. I, p. 494 — 510.

gravitas quaedam dignitasque propria est, quae et ad mores morumque praecepta transiit. Quare in ethicis Arabum carminibus illae maxime commendantur virtutes, quae ad ingenui viri dignitatem sustinendam atque promovendam pertinent. Egregiis facinoribus studendum, namque iis vera gloria continetur; patienter ferendum quidquid fortuna obtulerit, patientiâ enim votorum tandem compos fies, sicuti qui ostium indefesse pulsat, tandem ingredietur. Injuriae nobis illatae non sunt ferendae, id enim jumentorum onerariorum est; repellendi, qui cisternam nostram invadunt; etenim si aliis adgrediendis semper abstineamus, ipsi tandem opprimemur. Mors non timide fugienda; solet enim ea illos maxime assequi, qui timidissime eam vitant. Priusquam pedem ponas, locus demetiendus, quod si intermittas, necopinus lapsabis. Opibus, quas paraveris, liberaliter utere; cave tamen, ne indignos homines beneficiis adficias, mox enim beneficiorum in illos collatorum te poenitebit. Hominis altera pars est lingua, altera cor ejus; quod reliquum, nonnisi forma, carnibus et sanguine constans. — Sed locus tempusque nos deficerent, si omnia poëtarum Arabicorum praecepta moralia recensere vellemus; sufficient fortasse paucula haec ad declarandam ethicae Arabum poëseos indolem. Ad hanc poëseos speciem copiosae illae proverbiorum Arabicorum pertinent collectiones, quae, etsi haud desint viliores quoque sententiae, tamen multa egregia praeclaraque continent, unde gentis Arabicae mores, vitam, sapientiam optime cognoscere possis. De ethicâ Arabum poësi *Reiskius* multo honorificentius, quam de eorundem satyrâ sentit. Namque in oratione, quâ linguae Arabicae studium commendat, *Meidanii* proverbiorum mentionem injiciens, in hunc modum disserit: „Id si prodiret opus in lucem, haberemus ejus commatis Arabum adagia et scite dicta magno numero, in quibus divinam propemodum ejus gentis sagacitatem, et vibrantem fulminis instar praesentis animi promtaeque linguae vim nemo est, qui non

admirari, non stupere possit" [74]). Et paulo inferius haec tradit:

---

74) Oratio studium Arabicae linguae commendans, p. 263, 264; adnexa est oratio illa ejusdem auctoris in Jobum et Proverbia conjecturis, p. 217 — 292. — Quod *Reiskio* in votis erat, ut *Meidanii* proverbia in lucem ederentur, novissimis temporibus factum est curâ et studio doctissimi *Freytag* in opere, quod inscribitur: امثال العرب, *Arabum proverbia vocalibus instruxit, latine vertit, commentario illustravit G. W. Freytag. Tom. I, inest a Meidanio collectorum proverbiorum pars prior, Bonnae ad Rhenum,* 1838. *Tom. II, inest a Meidanio collectorum proverbiorum pars posterior,* 1839. — Dolendum autem, non integrum *Meidanii* opus, verum, praeter proverbia ipsa, delectum tantum scholiorum *Meidanii*, eumque non sermone Arabico, sed Latine redditum, in libro illo exhiberi. Cujus rei ratio in operis praefatione, p. VI, hisce redditur verbis: „Primum igitur totum *Meidanii* opus cum scholiis integris, Latinâ versione et adnotationibus edere in animo mihi erat; duas tum in opere accuratius examinato potissimum causas videbam, cur ab isto consilio desisterem. Una erat operis magna moles, quâ multum crescente ob necessarias tum criticas, tum alias adnotationes versionemque libri pretium ita augendum fuisset, ut paucis tantum libri emendi et utendi copia mansisset; altera in eo posita, quod in scholiis *Meidanii* multas res invenirem, quae majori legentium parti aut parum utiles, aut prorsus inutiles omitti, aut brevius dici possent. — Elegi igitur ex *Meidanii* scholiis eas potissimum res, quae tum ad intelligenda proverbia necessariae, tum ad historiam Arabum discendam, et vivendi rationem moresque cognoscendos utiles viderentur." — Quae causae etsi nequaquam sint contemnendae, tamen vix quemquam literarum Arabicarum amantem fore existimamus, qui non summo teneatur desiderio, ut integrum *Meidanii* opus sermone Arabico in lucem edatur. Quod desiderium haud quisquam melius explere posse videtur, quam doctiss. *Quatremère*, qui in ephemeridibus Asiaticis (Journal Asiatique) annorum 1837, 1838, praeclaro monstravit exemplo, quem in modum *Meidanii* editio sit adornanda.

„Ego certe nunquam sine maximâ voluptate *Almeidanium*, *Annuwairium*, *Ibn Zeidun* et *Rihan Alalbabi* evolvo, id est farragines integras talium apophthegmatum, orationum, historiolarum, è quibus nobiles orientalium mores, civilemque et bellicam prudentiam, et ingenium vere philosophicum, tanquam in speculo, videas et cognoscas, at in speculo, si magni *Casauboni* similitudine uti liceat, ardente, quod, quos in se collegit, virtutis et verae gloriae ignes in animum tuum, ceu oppositum fomitem, transfundit."

§. L.

A morum praeceptis ad carmina *amatoria* transeundum. Etsi Arabum gravitati lusus amatorii vix convenire videantur, tamen et hujus generis elegantissima et frequentissima habentur poëmata. Quin imo praeter fortitudinis bellicae, liberalitatis, equi camelique laudes, nullius rei in carminibus Arabicis frequens adeo injicitur mentio, quam puellarum formosarum, gaudiorumque atque dolorum, qui ex consuetudine cum illis oriri solent. Adde, quod inde ab antiquissimis temporibus Arabum poëtis solenne fuerit, carmina illa, quae *Kasidarum* nomine insigniuntur, maxime si in virorum illustrium laudibus praedicandis versarentur, ab amicarum amorisque sui descriptione ordiri. Quod carminum exordium, puellarum laudes celebrans, نسيب appellatur, ut videre est in hocce Motanabbii versiculo:

اذا كان مدح فالنسيب المقدّم
اكلّ فصيح قال شعرا متـيـّم

Quando panegyricus pangitur, Nasib (feminarum laudatio) praemittitur;

Num omnis disertus carmina fundit, amore captus?

Quem in locum *Abulhasan Ali ben Mohammed Alwahedi*, luculentissimus *Motanabbii* interpres, notat: المألوف من عادة الشعراء

تقديم النسيب فى شعرهم كلّما مدحوا فانكر ابو الطيّب هذه العادة i. e. „usitatissimum est poëtis *Nasib* praemittere in carminibus suis, quotiescunque alicujus laudes praedicant; quem tamen morem *Abultajjeb (Motanabbi)* improbat.“ Hunc morem, a puellarum nempe laudibus carmina ordiendi, ab omnibus Moallakarum auctoribus observatum videmus; quin vel in panegyrico illo in *Mohammedem* carmine, quod *Kaabum ben Zohair* auctorem habet, formosae puellae prius quam divini prophetae laudes praedicantur. Jam vero ad carminum *eroticorum* argumentum quod adtinet, frequentius in describendis ardentissimi amoris tormentis, quam gaudiis versantur. Queritur poëta amicae absentiam et asperitatem; insomnes prae desiderio ducit noctes, languet animus corpusque, incanescunt capilli. Invidet amator Zephyro, quod amicam invisere atque afflare ei liceat, cum sibi a dulcissimo illius adspectu abstinendum sit. Haud raro in somnio puellam conspicere suavissimumque ejus odorem sentire sibi videtur. Accedit ejusdem descriptio per singulas corporis partes; facies candida instar lunae, oculi, dorcadis oculos referentes, aliquantulum tamen languidi, genae rosis anemonisque similes, dentes nitidi instar grandinis vel margaritarum, capilli densi, corvi colorem aemulantes, brachia cruraque crassa, ita ut armillas atque periscelides rumpere minentur; statura gracilis, ramo myrobalani similis, incessus mollis, paululumque nutans. Neque tamen his acquiescunt Arabum poëtae; ipsam quoque amicae salivam, quod nostratibus insolitum, mirum in modum laudant. Sic *Tantarani* amicae suae salivam vinum dulcissimum, instar aquarum coelestium *Salsali*, dicit; sic *Motanabbi* e puellae ore aquam vitae se hausisse ait, quae si in terram deflueret, gentes praeteritas in vitam revocaret. Sed juvat auctorem Arabem, de figuris, quas in describendis humani corporis partibus poëtae adhibent, disserentem introducere. En, quae *Nowairi* hac de re disputat:

وصفوا (الشعرآء) اعضاء المحبوب وشبّهوها بأشياء فشبّهوا العيون

بالنرجس وانعالها بالخمر والسهام وشبّهوا الحواجب والجبين بالصباح والشعور بالليالى والسوالف بالعوالى واللمم بالصوالج والعقارب وشبّهوا الوجه بالشمس والقمر وشبّهوا الخدود بالورد والتفّاح وشبّهوا الثغور بالاقحوان واللثة بالخمر والريق بالشهد والاسنان باللؤلؤ والشفاه بالعقيق وشبّهوا النهود بالرمّان والقوام بالغصون والارداف بالكثبان وغير ذلك i. e. describunt (poëtae) amatorum membra, eaque variis rebus comparant: oculos comparant narcisso, eorumque effectum vino atque sagittis; supercilia frontemque aurorae; capillos nocti; colli latera hastis; cincinnos clavis, quibus pilae lusoriae impelluntur, scorpiisque; faciem comparant soli lunaeque; genas rosis pomisque; os anthemidi; gingivam vino; salivam melli; dentes margaritis; labia carneolo; mammas turgentes malo punico; staturam ramis; clunes tumulis arenaceis, et cetera.

§. LI.

Carmina amatoria sequuntur *satyrica*, sive *probrosa*. Sicuti in Arabum carminibus encomiasticis prae ceteris virtutibus fortitudo bellica et liberalitas celebrantur, in satyris maxime ignavia, avaritia et illiberalitas reprehenduntur. Quae vitia cum carpunt Arabum poëtae, haud raro omnis honesti decorique transsiliunt fines, et acerbissimis indulgent conviciis. Exempla habes in *Motanabbii* satyris in *Isacum ebn Kighalgh Kafurum*que. Hunc, quem aliquando effusissimis laudibus ornaverat *Motanabbi*, non veritus est postmodum, cum illi succenseret, in satyris suis canem canibus procreatum, duobus obolis emtum, imo rhinocerotem adpellare. Quin animam ejus adeo sordidam foetidamque esse dicit, ut mors ipsa, ad umbras eam deductura, nonnisi manibus aloë suffitis prehendere illam possit. Quae nimia satyricorum Arabicorum licentia doctissimo *Reiskio* adeo stomachum movit, ut durissime de satyricis Arabum carminibus statueret. Namque in oratione, jam superius laudatâ, p. 265, 266, inter cetera haec

quoque habentur: „Dicet quidem forte aliquis, in satyrico genere Arabes excellere. At is fallitur; non excellunt, vincunt tantummodo gentes alias caninâ oris impudentiâ, vincunt peritiâ, si qua est, conviciorum plaustra jactandi, qualia non suburra suggerit, non evomit nautica plebs, sed ipse Acheron, pestilentem mephitim, exhalat." — Quod viri doctissimi judicium etsi duriusculum sit, excusatione tamen dignum videbitur, si haec *Motanabbii* in *Isacum ebn Kighalgh* convicia legantur:

يحمى ابن كيغلغ الطريق وعرسه
ما بين رجليها الطريق الاعظم
اقم المسالح فوق شفر سكينة
انّ المنىّ بحلقتيها خضرم ✿

qui locus adeo inhonestus est, ut pigeat nos Latinis illum reddere verbis. Ceterum in genere satyrico magnam famam inter Arabes consecuti sunt *Antara* atque *Dscherir*, quorum ingenium poëticum, sicuti et *Amrilkaisi*, *Zohairi*, *Annabeghae* et *Alaghschaei*, *Abu Bekr ben Abdulmalek Almokri* in libro, qui inscribitur: جواهر الآداب وذخائر الشعرآء i. e. *literarum elegantiorum gemmae poëtarumque thesauri*, in hunc modum taxat: اشعر امرو القيس اذا ركب وزهير اذا رغب والنابغة اذا رهب والاغشى اذا طرب وعنترة اذا كلب وجرير اذا غضب i. e. praestantissimus poëtarum est *Amrulkais*, si equo vehatur (i. e. si arma canat); *Zohair*, si carmina amatoria fundat; *Annabegha*, si moralia; *Alaghscha*, si laeta; *Antara*, si mordacia; *Dscherir*, si irae indulgeat [75].

§. LII.

Carmina satyrica excipiunt *descriptiones lepidaque poëmata.* Descriptiones in diverso versantur argumento. Vel enim formo-

75) Casirii Biblioth. Arab. t. I, p. 92.

sae puellae, vel equi, cameli, pugnae, gladii, horti, flores, nubes, pluviae, deserta etc. depinguntur. Quibus coloribus puellas, equos gladiosque pingant Arabum poëtae, jam superius vidimus; e reliquarum rerum descriptionibus liceat unam tantum, cameli nimirum, in medium proferre, quod ea frequentissime in carminibus Arabicis occurrat. Camelum vix ullus poëtarum Arabicorum splendidioribus ornavit coloribus, quam *Tarafa*, quare eum potissimum auctorem sequemur. Vehitur poëta camelo, cujus calva durissima, incudis instar; genae candidae laevesque instar chartae Syriacae, labra mollia rugisque destituta, tanquam corium Jemanense; oculi clari nitidique ceu specula duo, reconditi in cavernis saxeis, ita ut scrobem aquâ repletam referre videantur; aures tenues, acutissimo auditu praeditae; collum procerum et agile, simile rostro navis adverso Tigride vectae; spina dorsi optime inflexa, costae sicuti arcus, cor, celeriter palpitans, firmum tanquam saxum, femora carne solidâ instructa, instar valvarum excelsi palatii assurgentia, pedes agiles et firmissimi, cursu struthiocamelum aequantes, universi denique corporis structura comparanda ponti ab architecto Graeco exstructo, qui jurejurando se obstrinxerat, firmissimum sese opus conditurum. Hujus generis descriptiones quam plurimae in carminibus, quibus Moallakarum nomen, inveniuntur; quae omnia in eodem fere versantur argumento, in describendis puellis, equis, camelis, bellicâque poëtae fortitudine. Fingunt nempe Moallakarum auctores, sese locum, a puellâ adamatâ quondam inhabitatum, cum sociis quibusdam invisere. Conspectis deserti jam loci ruderibus poëta moerore adficitur; deflet absentem amicam, ejusque egregiam formam depingit. Colligit tandem animum, et longinquis itineribus aegritudinem pellere instituit. Jam ad equum, sive camelum, itineris suscipiendi comitem, describendum transit. Quâ perfunctus descriptione imperterritum animum, fortitudinem atque liberalitatem suam praedicat, vitaeque instituendae praecepta ad-

dit. Ne tamen existimes, antiquiores tantum Arabum poëtas in descriptionibus excelluisse; quin et seriores haud exiguam laudem in hoc dicendi genere sibi vindicant; inter quos praeprimis *Motanabbi* et *Abulola*, quorum ille in describendis pugnis vix cuiquam videtur esse postponendus.

Carminibus lepidis accensendi *apologi*, *epigrammata*, *aenigmata*, *griphi*, aliaque id genus poëmatia, quarum in seriorum poëtarum operibus haud exiguus numerus. Eorum argumentum, cum sit diversissimum, longum esset exponere; neque id omnino necessarium videtur, cum nemini non notissimum sit, quaenam res in ejusmodi poëmatiis tractari soleant. Id unum notabimus, Arabum epigrammata saepissime in rebus amatoriis versari, facetiarum salisque plenissima esse, sed haud raro omnes honestatis fines transsilire. Cujus generis sunt *Schemsuddini Mohammedis ben Hasan ben Ali Annawadschii* epigrammata, quorum collectio مراتع الغزلان فى وصف الحسان من الغلمان, i. e. *dorcadum pascua, sive adolescentum formosorum descriptio*, inscribitur. In eâ collectione ad tria millia epigrammatum habentur, quae ad paederastias pertinent flagitium, et haud parum salis, sed plurimum etiam obscoenitatis habent [76]).

§. LIII.

Ultimus locus in *Alii ben Abilfaradsch* carminum Arabicorum conspectu *religiosis*, sive *paraeneticis* tribuitur carminibus. Haec in numinis divini laudibus celebrandis, praedicandâ in Deum pietate, nec non commendando rerum mundanarum contemtu versantur. Numen divinum ante omnia colendum atque diligendum; namque illius immensâ potentiâ universa rerum natura ex nihilo procreata, illiusque infinitâ benignitate quaecunque in dias luminis

76) Casirii Biblioth. Arab. t. I, p. 88, 124.

auras prodiere, sustentantur atque conservantur. Amore in Deum nil beatius; quicunque eo tenentur, corporis voluptates, omnesque in universum res mundanas fastidiant, necesse est. Verum ut sincero illo atque ardentissimo in Deum amore imbui possis, abstinendum tibi ab hominum rerumque humanarum commercio, solitudo petenda omnisque vita contemplationi consecranda. Quod si feceris, ad intimam tandem cum numine divino conjunctionem pervenies, quâ animus humanus ab omnibus rebus, imo a semet ipso alienatur, et ineffabili voluptate adficitur. Haud raro amoris divini voluptas humani amoris imagine repraesentatur; tribuuntur Deo oculi blandientes, quibus homines ad sui amorem adlicit; cincinni nigri crispatique, quibus mentem humanam perturbat; labia rubicunda et suavissime fragrantia, quorum oscula dulcissima sunt, etc. Eundem numinis divini amorem et vini dulcissimi imagine poëtae depingunt. Deus pincernae partes agit, homines potatorum; qui simul ac poculum a pincernâ sibi oblatum exhauserint, inebriantur, ita quidem, ut omnium rerum humanarum obliti nonnisi coelesti felicitate fruantur. Hisce ex imaginibus carmina mystica enata sunt, de quibus inferius, ubi de allegoriâ mysticâ agetur, uberius disputabimus.

§. LIV.

His fere finibus antiquior Arabum poësis continetur; recentioris aevi poëtae non iis tantum acquieverunt rebus, quae poëticam admittunt tractationem, verum etiam eas carminibus incluserunt, quae naturâ suâ ab omni poësi sunt alienissimae. Namque ex eo tempore, quo scientiarum studiis operam navarunt Arabes, et poëtae docti videri, et docti poëtarum partes agere volebant; quo factum est, ut vel abstrusissimae disputationes versibus exponerentur, paulatimque ad omne scientiarum genus poëseos fines extenderentur. Quare inter Arabum poëmata inveniuntur, quae artem grammaticam, metricam poëticamque doceant; habeatur

alia, quae gentis Arabicae, vel aliorum etiam populorum historiam exponant, cujus generis sunt *Abdulmadschidi ben Abdun Albaberi* duo poëmata, quorum alterum, البسامة العظيمة, *voluptas magna*, inscriptum, rerum ab orbe condito ad Abbasidarum imperium gestarum historiam, alterum vero Persiae Arabiaeque principum annales exhibet [77]). Alia res mathematicas, algebram, astronomiam, chronologiam; alia theologicas, philosophicas medicasque quaestiones tractant. Neque desunt poëmata, quae de jurisprudentiâ praecipiant; cujus generis est *Abu Bekri ben Ali Alhameli* opus, quod inscribitur درّ المهتدى وذخر المقتدى, *margaritae prudentum, et thesaurus sapientum.* In hoc poëmate, quod universam fere Mohammedanorum jurisprudentiam complectitur, secundum *Abu Hanifae* mentem disseritur de purificatione, oratione, eleemosynâ, jejunio, peregrinatione sacrâ, sacrificio, bello, cultu terrae desertae, venatione, licito et illicito, matrimonio, divortio, manumissione servorum, educatione puerorum, consanguinitate, securitate et poenis, homicidio et furto, rebus deperditis, jurejurando, legato, contractibus, emphyteusi, donationibus, conductione, mutuo pignore, raptu, nothis, minoritate, tutelâ, fidejussione, foenore, societate atque testamentis [78]). Vides ex poëmatis hujusce argumento, quod exempli causâ adposuimus, quam alienae ab omni poësi sint res, quae in ejusmodi carminibus tractantur; quare poëticam formam si demas, vix quidquam, poësin quod redoleat, superabit. Meliori jure fabulas, quas Romanenses dicimus, fictasque illas narrationes, quarum tanta Arabibus copia, poësi adjudices; quae, licet maximam partem solutâ oratione compositae sint, mirum quantum ingenii poëtici prae se ferant.

---

77) Biblioth. Bodlej. codd. mscr. orr. catal. P. I, p. 266, 261.

78) Biblioth. Bodlej. codd. mscr. orr. catal. P. I, p. 259.

§. LV.

Praeter ea, quae pro argumenti diversitate Arabes statuunt carminum genera, habentur et alia, quae et argumentum et formam simul spectare videntur; in quibus *Kasida* et *Ghazal*. De *Kasidae* nomine et indole in diversas partes virorum doctorum sententiae abeunt. *Schiraxius* in scholiis ad *Haririi* consessum XLIII de Kasidâ haec docet: قصيدة لأنّ الشاعر يقصد انشآءها ويوكل خاطره على نظمها ولأنّه يكسرها ويقطعها عن غيرها من الكلام i. e. „dicitur *Kasida*, quod poëta ejus compositionem sibi proponat, et ad eam condendam animum intendat, et abrumpat quasi, seu abscindat illam ab aliis orationis generibus" [79]. In hanc sententiam et Arabum et nostratium quam plurimi descenderunt. Sed vereor ne, admissâ illâ interpretatione, omnia in universum carmina *Kasidae* dici possint. Etenim quis non videt, poëtam cujuscunque carminis compositionem sibi proponere, ad condendum carmen animum intendere, illudque ab aliis orationis generibus abscindere. Alii [80] *Kasidam* inde appellatam existimant, quod verbum, quo poëtae indicant, se ad heroëm in *Kasidâ* celebrandum properare, proprium sit قصد; alii denique a carminum pangendorum significatione, quam verbum قصد admittit, *Kasidam* proxime carmen quodcunque, deinde carmen limatius ornatiusque, quales *Kasidae* esse solent, notare opinantur. Rectius fortasse *Kasidam* a justo compositionis modo, justoque versuum numero dictam existimes; namque verbum قصد inter cetera, *justum rectumque tenuit modum*, significat; unde قصيدة, *carmen justi moduli* dictum eam propter causam, ut a brevioribus illis atque incompositis carminibus discerneretur, quibus ante

---

79) Pocockii notae in Tograi carmen lamicum, p. I.

80) Bohlen Comment. de Motenabbio, p. 91.

Mohalhelum, *Kasidae* inventorem, poësis Arabica maximam partem continebatur. Quam sententiam confirmare videntur, quae *Firuzabadi* in *Kamuso*, edit. Calcutt. t. I, p. 406, 407, de vocabulis قَصْدٌ, قَصَدَ et قَصِيدٌ disserit; cuius in hunc modum audiunt verba:

القَصْدُ استقامة الطريق والاعتماد والأمّ قَصَدَه وله واليه يقصِده وضدّ الافراط كالاقتصاد ومواصلة الشاعر عمل القصائد كالاقتصاد ورجل ليس بالجسيم ولا بالضئيل كالمقتصد والمقصّد والكسر بايّ وجه كان او بالنصف كالتقصيد وانقصد وتقصّد والعدل والتقتير — — والقَصِيد ما تمّ شطر ابياته وليس الّا ثلثة ابيات فصاعدا او ستّة عشر فصاعدا

i. e. قَصْدٌ rectitudo viae, propositum, intentio. قَصَدَ cc. a., vel ل, vel الى, fut. I, contrarium intemperantiae, sicuti in conjug. VIII. de poëtâ usurpatum: composuit *Kasidas*, idem et in conjug. VIII. قَصْدٌ vir neque corpulentus, neque macilentus; sicuti etiam مُقْتَصِدٌ et مُقَصَّدٌ; fractio quocunque modo, vel per medium, idem in conjug. II, V et VII; justitia, parsimonia. قَصِيدٌ poëma, cujus hemistichia perfecta sunt, constans tribus vel pluribus versibus, vel etiam sedecim pluribusque. — Sed quamcunque in re incertâ sententiam sequaris, id certe constat, *Kasidam*, si argumentum spectes, in laudatione et descriptione versari, eoque ordine procedere, ut primo formosae puellae, deinde equi vel cameli, denique insignis alicujus viri laudes celebrentur. Quod ad *Kasidae* formam adtinet, modicae magnitudinis poëma, ut *Jonesii* utamur verbis [81]), esse debet; raro aut plura quam centum disticha complectitur, aut pauciora quam viginti; primi distichi membra eundem referunt rhythmum finalem, qui deinde per totum carmen regnat, ita tamen, ut in postremo tantum cujusvis distichi membro recurrat.

---

81) Poëseos Asiaticae commentarii, p. 66.

§. LVI.

Diversum a *Kasidâ* et argumento et formâ est illud carminum genus, quod *Ghazal* dicitur. Argumentum *Ghazali* ut plurimum in rebus amatoriis versatur; ad formam quod adtinet, *Kasidis* multo breviores sunt *Ghazali*, quippe qui vix ultra septemdecim disticha progrediuntur, imo plerumque septem tantum vel octo complectuntur. Praeter *Kasidam* et *Ghazalum* in Arabum de arte poëtica commentariis et nonnulla alia carminum genera notantur, ut قطعة, *carmen truncatum*, quod non ultra septem versus protenditur; خصي, *castratum*, quod usitatissimo illo *Kasidarum* exordio, a puellarum laude petito, destitutum est; مثنوي, carmen, quod in utroque hemistichio rhythmum finalem refert; de quibus carminum generibus uberius agere superfluum videtur.

§. LVII.

Superest, ut videamus, quaenam carminum Arabicorum genera ex nostrorum hominum praeceptis poëticis statui possint. Omnis Arabum poësis sex potissimum carminum genera videtur comprehendere: *lyricum* videlicet, *descriptivum*, *satyricum*, *didacticum*, *narratorium* [82]) atque *epigrammaticum*. *Lyricum* genus latissime patet, et pro diversâ adfectuum, qui exprimuntur, ratione diversas admittit species. Huc referas carmina heroica, elegiaca, amatoria et religiosa. Observandum autem, lyrica Arabum carmina non tantum in exprimendis adfectibus, verum etiam in describendis rebus versari; unde evenit, ut id poëseos genus cum sequenti, descriptivo nempe, conjunctissimum sit. Ad *descriptivum* genus inter cetera et laudatoria carmina referenda; quae etsi adfectuum plena sint, tamen maximam partem in de-

---

82) Ignoscant rigidi linguae Latinae censores binis vocabulis *descriptivum, narratorium;* quae etsi bonis auctoribus vix usitata sint, brevitatis tamen caussâ admittenda videbantur.

scribendâ rei laudandae praestantiâ versantur. Huc et celebratissima illa septem carmina, quibus Moallakarum nomen, pertinere videntur; quamvis ab aliis, maxime *Jonesio*, bucolicae poësi tribuantur. At vero si carmina illa cum Graecorum Romanorumque carminibus bucolicis conferas, haud exiguam et argumenti, et dictionis, et omnis omnino indolis diversitatem deprehendes. Namque ad argumentum quod adtinet, praeter puellae formosae descriptionem, Arabum Moallakis nihil cum Graecorum Romanorumque carminibus bucolicis commune. Nulla in his vel equi bellatoris, vel cameli, longinquorum itinerum comitis, vel fortitudinis bellicae mentio; quibus tamen rebus omne Moallakarum continetur argumentum. Accedit, quod et Moallakarum dicendi genus, quin imo omnis earum indoles altiorem redoleat spiritum, quam is esse solet, qui in carminibus bucolicis conspicitur. — Late et descriptivum genus in Arabum poësi regnat; adeo quidem, ut, si lyrico generi primae tribuantur partes, secundas optimo jure descriptivum sibi vindicet. De *satyrico* genere dicere non adtinet; namque ex ipso jam nomine satis intelligitur, quaenam genus illud sibi vindicet carmina. Ad *didacticum* genus omnis ethica atque gnomica Arabum poësis referenda; huc pertinent etiam longiora illa carmina, quae in exponendis grammaticis, philosophicis, theologicis, mathematicis, juridicialibus medicisque disciplinis versantur. *Narratorio* generi accensenda sunt historici argumenti carmina, fabulae porro Romanenses, aliaeque fictae narrationes, celebratissimi illi *Haririi* aliorumque consessus, apologi et similia, quorum licet magna pars solutâ oratione conscripta sit, tamen, argumentum si spectes, poësi merito tribuenda videntur. Ad *epigrammaticam* denique poësin, praeter ipsa epigrammata, referenda aenigmata, griphi, aliaque id genus.

§. LVIII.

Memoratis hisce carminum generibus omnis Arabum poësis continetur. Quaesiveris forsan, qui factum fuerit, ut epicam

atque dramaticam poësin Arabes non excoluerint, quarum tamen utramque tempore illo, quo literarum Graecarum studiis dediti essent, facile a Graecis adsciscere poterant. Hujus rei causam maxime in eo positam existimaverim, quod jam longe ante Abbasidarum tempora, quibus lingua literaeque Graecorum inter Arabes coli coepere, poësis Arabica ad summum florem pervenerit, tantusque antiquioribus illis poëseos monimentis postmodum honos habitus fuerit, ut serioris aevi poëtae ea vel omnino imitarentur, vel saltem ab iis carminum generibus, quae antiquioribus in usu fuerant, recedere non auderent. Jam vero cum ex antiquiori illâ poësi et epicum et dramaticum genus exularet, neque in recentiorem poësin recepta fuere; etsi verisimile sit, Abbasidarum sub imperio, quo tempore literarum Graecarum studia tanto cum ardore ab Arabibus tractata fuere, epicam quoque et dramaticam Graecorum poësin ipsis innotuisse. Quâ autem ratione evenerit, ut utrumque poëseos genus neque ab antiquioribus Arabum poëtis, neque omnino a Semiticae originis gentibus, Hebraeis, Syris et ceteris, excultum fuerit, cum tamen apud alios orientis populos, Sinenses, Indos Persasque vel utrumque, vel alterutrum usitatum sit, non adtinet hoc loco disquirere [83]).

Cap. III.

C o m p a r a t i o.

§. LIX.

Ex iis, quae de poëseos Hebraicae et Arabicae argumento diversisque carminum generibus hactenus disputata sunt, facile

---

83) De causis neglectae a populis Semiticis poëseos dramaticae jam superius, §. XL. not. 66, actum fuit. Easdem causas et poësi epicae apud populos illos offecisse, facile est intellectu. Vide *Ewaldi* commentationem de Hebraeorum poësi, p. 14, 15.

intelligas, poësin Hebraicam ab Arabicà et argumenti et generis varietate superari. Neque id adeo mirum; solent enim poëtae praecones esse, ut naturae rerumque externarum, quibus circumdantur, ita etiam sensuum, notionum atque cognitionum, quae inter populares suos vigent. Jam vero Hebraeorum notiones atque cognitiones arctioribus limitibus circumscriptae erant, quam Arabum; quare et res, quas Hebraeorum poëtae tractandas sibi sumebant, haud adeo variae esse poterant, quam quae ab Arabum poëtis carminibus mandarentur. Accedit, quod poëseos Hebraicae pauca tantum monimenta ad nostra tempora superaverint; Arabum contra poësis magnam et auctorum et carminum copiam habeat. Quare fieri vix potuit, quin et argumenti et generis varietate Hebraeorum poësis ab Arabicâ superaretur. Carminum Hebraicorum argumentum ut plurimum in celebrandis divini numinis laudibus, tradendis vitae morumque praeceptis, et deplòrandâ miserâ populi Hebraici sorte versatur; rarius fortitudo bellica, et rarissime dulces amoris lusus, laudesque feminarum praedicantur. At vero Arabum poësis praeter numinis divini laudes morumque praecepta, praeter tristes humanae sortis casus, bella, amores, quos pingit, diversarum adhuc rerum descriptiones, narrationes, disputationes, omnisque generis sales atque facetias exhibet. Poëseos Hebraicae pro ratione illorum, quae adhuc supersunt, monimentorum, duo tantum genera statuimus, *lyricum* videlicet et *didacticum*, quibus in Arabum poësi quatuor insuper accedunt, *descriptivum*, *satyricum*, *narratorium* atque *epigrammaticum*. Verum et in illis poëseos generibus, quae Hebraei cum Arabibus communia habent, haud parum obtinet discriminis. *Lyrica* Hebraeorum poësis maximam partem hymnis in Deum elegisque in tristes populi Hebraici casus continetur; carmina heroica, amatoria neniaeque paucissimae habentur; contra Arabibus magna copia carminum heroicorum, amatoriorum neniarumque. Inter Hebraeorum Arabumque *heroica carmina* id quoque intercedit discriminis, quod in illis non homi-

num, sed Jovae fortitudo gloriaque celebretur; in his autem nonnisi humana audacia virtusque praedicetur. Namque ex Hebraeorum, hominum religiosissimorum, sententiâ Deus ipse pro populo sibi dilecto contra hostes dimicabat; quod si igitur victoria reportata esset, ea nequaquam hominum fortitudini, sed soli numinis divini praesidio tribuenda videbatur. Contra Arabes, gens bellicosissima, omnem in bello spem in dexteris suis gladiisque collocabant; quare, si victoriam de hostibus reportassent, nonnisi suam ipsorum virtutem praedicare solebant. Haud minus et *didactica* Hebraeorum Arabumque poësis inter se differt. Hebraeorum carmina didactica nonnisi ad res divinas morumque institutionem pertinent; contra Arabes omne scientiarum genus, theologiam, philosophiam, jurisprudentiam, medicam artem, mathesin, historiam, grammaticam, poëticam etc. carminibus comprehenderunt. Neque tamen id Arabum poësi laudi ducendum; namque si doctis illis carminibus formam poëticam demas, parum, vel nihil omnino, quod poësin redoleat, superabit. Tanto didacticae Arabum poëseos ambitu, est tamen aliqua illius poëseos species, quam Hebraei propriam sibi vindicant, quamque neque apud Arabes, neque apud alium quendam populum deprehendes. *Propheticam* dico poësin, quae, etsi magnam partem in tradendis vitae morumque praeceptis versetur, tamen pro singulari, quo apud Hebraeos prophetae fungebantur, munere, pro singulari porro modo, quo populum suum jam docebant, jam castigabant, jam solabantur atque erigebant, singularem quoque induit colorem, diversum ab eo, quem Arabum ceterorumque populorum carmina paraenetica prae se ferunt. In Arabum carminibus paraeneticis numinis divini amor, rerum humanarum contemtus, vitaeque integritas commendantur; sed suo nomine poëtae loquuntur, sicuti morum praeceptores solent, neque numinis divini ex auctoritate aut publicas calamitates minantur, nisi monitis suis obtemperetur, aut publicam salutem spondent, si ad meliorem frugem populares sui redie-

rint. Contra Hebraeorum prophetae non suo, sed Jovae nomine verba faciunt; duram populi sui sortem numinis divini irâ immissam, durioraque adhuc eventura contendunt, nisi Jovam pio sinceroque animo populus colat; at laetissima instare tempora, si corruptos mores exuerint, idolorum cultui renuntiaverint, solique Jovae inhaeserint.

§. LX.

Quod ad reliqua adtinet poëseos genera, quae praeter lyricum et didacticum apud Arabes obtinent, haud diffitendum, aliqua saltem illorum et in Hebraeorum poësi occurrere vestigia. Sic in ultimis Jobi capitibus, XXXVIII—XLI, pulcherrimae obviam sunt *descriptiones*, equi praeprimis, hippopotami et crocodili. Neque inter psalmos desunt, quos ad genus descriptivum referre possis; huc inter ceteros elegantissimus ille psalmus CIV pertinere videtur, quo in carmine Jovae majestas atque benignitas splendidissimis pingitur coloribus. Mirum videri possit, carmina *laudatoria*, praeter ea, quae ad numen divinum referuntur, in Hebraeorum poësi paucissima haberi, cum tamen id carminum genus apud Arabes late pateat, et non solum ad viros illustres, verum etiam ad feminas pertineat. Ejus rei duplex causa reddi possit; vel enim Hebraeorum poëtae praeter Jovam regemque suum, quem Jovae quasi vicarium putabant, neminem mortalium dignum censebant, quem carminibus celebrarent; vel si omnino et virorum illustrium laudes praedicabant, iis, qui antiquorum Hebraeorum monimenta literaria collegerunt, inque unum corpus redegerunt, indignum visum fuit, carminibus iis, quae Jovae, vel etiam regis majestatem gloriamque celebrarent, talia immiscere, quae aliorum mortalium laudes praedicabant. — Carmina *satyrica* Hebraeorum poëtae ex instituto quidem non scripsere; nihilo tamen minus, maxime in prophetarum scriptis, nonnulla reperiuntur, quae satyrico generi adjudicari possint. In quorum

numerum haud immerito referas carmen illud probrosum in regis Babylonici interitum, quod Jesaiae cap. XIV, v. 4—20, habetur; cui carmini etsi haud desint sales et cavillatio, tamen tanta etiam inest dignitas, ut dubitem, an in magnâ carminum satyricorum, quae Arabum poëtae fuderunt, copiâ ullum inveniatur, quod carmini illi possit aequiparari. — Quae ad *narratorium* poëseos genus pertinent carmina historica fabulaeque Romanenses in Hebraeorum poësi quidem desiderantur; neque tamen omnino desunt narrationes fictae atque apologi. Fictis narrationibus, sicuti superius jam monitum fuit, *Jonae* liber adnumerandus videtur; apologi autem egregium specimen habetur Judicum libro, cap. IX, 8—15. — *Epigrammaticae* denique poëseos vestigium habes in aenigmate illo, quod occiso leone *Simson* Philistaeis solvendum proposuit, Judd. cap. XIV, 14. — Vides, id, quod magnâ copiâ atque varietate in Arabum poësi superest, apud Hebraeos nonnisi sparsim frustatimque reperiri; quare, si similitudine uti licet, poësin Arabicam domum amplam atque magnificam, omnibus suis partibus integram, sartam tectamque dixerim; Hebraicam contra magnificae domus ruinam, cujus structura vel non absoluta, vel temporum injuriâ collapsa fuit, ita ut nonnisi modica inconcussa stet pars, cetera rudera atque fragmenta. Ceterum quamvis copiosissima sit Arabum poësis, tamen in eo cum Hebraicâ convenit, quod utraque et epicis et dramaticis carminibus destituta sit. Fuere quidem, qui vel utrumque, vel alterutrum poëseos genus Hebraeis Arabibusque vindicare vellent, sed parum probabilibus rationibus. Etenim si cum *Augustio* [84]) Hebraeorum *Pentateuchum*, et cum *Jonesio* [85]) *Arabschiadae historiam Timuri* epicae poësi adnumeres, omnibus legibus, quas artis poëticae magistri de carminum epicorum indole et ratione statuerunt,

---

84) Introductio hist. crit. in Vet. Testam. edit. II, p. 137—148.
85) Poëseos Asiaticae commentarii ex Eichhornii edit. p. 238—240.

renunties necesse est. Haud meliori jure cum *Coccejo*, *Bezâ* aliisque *Jobi* librum ad dramaticam referas poësin; siquidem omnis actio, sine quâ poësis dramatica consistere nequit, in carmine illo desideratur. Quare rectius statuas, duplex illud carminum genus, epicum videlicet atque dramaticum, quo in universo poëseos ambitu nil praestantius, Hebraeis Arabibusque omnino insolitum fuisse.

Pars III.

De stylo carminum Hebraicorum atque Arabicorum.

Cap. I.

De stylo carminum Hebraicorum.

§. LXI.

In explicandâ poëtici Hebraeorum styli indole non ipsa tantum elocutio, quam proprio strictiorique sensu stylum dicunt, verum omnis poëtarum Hebraeorum cogitandi atque sentiendi ratio consideranda videtur. Namque elocutionis fons atque origo cogitatio sensusque, quorum utrumque adeo arcte conjunctum, ut alterum sine altero vix intelligi atque dijudicari possit. Ut autem populi cujusdam cogitandi sentiendique rationem probe perspicere atque dijudicare possis, necesse est, ut ejus vitam, mores, instituta, tum sacra, tum civilia, imo et terram coelumque, sub quo degit, probe cognita habeas. Quare haud abs re videtur, Hebraeorum vitam, mores, instituta, terram coelumque quam brevissime perstringere; unde et totius populi in universum, et poëtarum Hebraicorum speciatim cogitandi, sentiendi loquendique ratio clarior evadet.

§. LXII.

Hebraeorum vitam moresque si spectes, antiquioribus temporibus, ad *Salomonis* usque imperium, simplicissimi fuere. Montibus, mari desertisque a reliquo terrarum orbe seclusus populus Hebraicus nonnisi rei pecuariae agrorumque culturae operam navabat. Cum peregrinis gentibus, praeter bellum, nullum commercium; quare neque mores peregrini, neque divitiae, quibus mores corrumpuntur, in Palaestinam invehi poterant. Literarum atque scientiarum studia parvi aestimata, et nonnisi a sacerdotibus, levitis prophetisque aliquantulum exculta; quo factum, ut Hebraei longissime ab eâ abessent eruditione, quam inter antiquos populos Aegyptii, Phoenices, Hebraeorum vicini, nec non Graeci Romanique consecuti sunt. A *Salomonis* inde imperio ad exilii Babylonici usque tempora Hebraeis omnino et cum exteris gentibus aliquod intercessit commercium, imo inter primores populi divitesque luxuria quoque grassari coepit; at vero major meliorque populi pars, paupertati, saepe etiam injuriae potentiorum obnoxia, a pristinâ vitae morumque simplicitate parum descivit. Ea vero vitae morumque simplicitas non potuit non in omni Hebraeorum cogitandi, sentiendi loquendique ratione conspici. Quare in omnibus Hebraeorum scriptis, proinde et in poëtarum monimentis grata quaedam dicendi *simplicitas* deprehenditur.

§. LXIII.

Praeter illam vitae morumque simplicitatem et instituta populi Hebraici, tum sacra, tum civilia, multum ad poëtarum sentiendi dicendique rationem valuere. Omnia Hebraeorum instituta ad Deum auctorem referebantur; a Deo leges Mosaicae profectae credebantur; Dei nomine atque auctoritate reges summique pontifices, quin imo omnes rerum sacrarum civiliumque ministri provinciam suam administrare putabantur. Adde, quod et omnes populi Hebraici casus, vel secundi, vel adversi, a Deo immissi

existimarentur. Deo jubente *Abrahamus*, gentis Hebraicae auctor, ex Mesopotamiâ in Palaestinam migraverat; Deo annuente *Jacobus* cum filiis Aegyptum petierat; ejusdem Dei jussu et auxilio *Moses* populares suos a servitute, quâ in Aegypto premebantur, in libertatem vindicaverat. Quâ opinione cum Hebraeorum animi tenerentur, factum est, ut omnes eorum cogitationes, sensus factaque cum religione quâdam conjuncta essent; quâ re, sicuti animi pejores deprimebantur, ita meliores efferebantur. Quae animorum meliorum elatio in Hebraeorum poësi manifesto conspicitur; siquidem inde *sublimitas* illa cogitationum atque orationis enata est, quae in carminibus Hebraicis ut plurimum cum dicendi simplicitate consociata deprehenditur.

§. LXIV.

Haud minimam denique partem in formandis Hebraeorum poëtis et terrae coelique, sub quo degebant, ratio sibi vindicat. Terrâ, quam Hebraei incolebant, nil amoenius. Habet enim laetissimos montes camposque fertilissimos; neque desunt flumina, lacus fontesque ad irrigandam terram. Quamvis calidioribus regionibus adnumeranda sit Palaestina, tamen solis aestus auris a mari *Libano*que spirantibus temperatur; quo fit, ut ad terrae amoenitatem coeli adhuc salubritas accedat. Quae coeli terraeque natura plurimum conferebat ad excitandam augendamque poëtarum imaginandi vim, quandoquidem vix alia animi vis rebus externis magis excitatur alitùrque. Jam vero id quasi proprium sibi vindicat imaginandi vis, ut nativâ rerum formâ haud contenta, vividioribus easdem coloribus obducat, imaginibus involvat, et vel iis, quae vitâ sensuque destituta sunt, vitam sensumque tribuat. Hinc *tropicum*, sive *figuratum* dicendi genus oritur, quo, si qui alii, certe Hebraeorum poëtae mirum in modum delectantur. Ex iis, quae hactenus disputata sunt, efficitur, poëtarum Hebraicorum stylum triplici potissimum genere, *sim-*

plici nempe, *sublimi* atque *figurato* contineri. Tribus hisce quartum addas, *Lowthio sententiosum* appellatum, quod cum simplici conjunctissimum est, imo ex illo originem trahit. De quovis dicendi genere sigillatim agendum.

§. LXV.

Simplicitas orationis, sive solutae, sive ligatae, primum in materiae tractandae *dispositione*, deinde in ejusdem *expositione*, sive tractatione conspicitur. Simplicem materiae dispositionem eam dixeris, quae nonnisi ea, quae ad rem pertinent, admittit, facilique ordine distribuit, spretis iis, quae minus necessaria videntur, aut quibus orationis nexus turbari possit; similiter simplicem materiae tractationem eam existimes, quae omnibus et cogitationum et verborum ambagibus abstinet, remque, sicuti est, plane atque perspicue exponit. In Hebraeorum carminibus, sive materiae dispositionem, sive tractationem respicias, simplicissimam utramque invenies. Exemplum simplicissimi et elegantissimi carminis exhibet psalmus CXIV, in quo populi Hebraici ex Aegypto egressus, duce Jovâ, in hunc modum describitur:

בצאת ישראל ממצרים
בית יעקב מעם לעז:
היתה יהודה לקדשו
ישראל ממשלותיו:
הים ראה וינס
הירדן יסב לאחור:
ההרים רקדו כאילים
גבעות כבני צאן:
מה לך הים כי תנוס
הירדן תסב לאחור:
ההרים תרקדו כאילים
גבעות כבני צאן:
מלפני אדון חולי ארץ

מלפני אלוה יעקב׃
ההפכי הצור אגם מים
חלמיש למעינו מים׃

Cum exiret *Israël* ex Aegypto,
Domus *Jacobi* e populo barbare loquente,
Evasit *Juda* sacrum ejus,
Israël dominium ejus.
Mare vidit fugitque,
Jordanes convertit se retrorsum;
Montes subsiluerunt sicut arietes,
Colles sicuti pulli ovium.
Quid tibi, mare, quod fugeris,
Jordanes, quod retrorsum te converteris,
Montes, quod subsilueritis sicut arietes,
Colles, sicuti pulli ovium?
Prae conspectu Domini contremisce, terra,
Prae conspectu Dei *Jacobi*;
Qui saxum convertit in stagnum aquarum,
Silicem in fontem aquarum.

Carminis hujus haec fere dispositio: cum Jova populum suum ex Aegypto educeret, ipsa rerum natura ejus obtemperavit voluntati. Qui hoc factum? Merito; etenim Jova potentissimus. — Vides, quanta sit in disponendâ materiâ simplicitas; neque minor in tractandâ conspicitur. Nullae, neque in cogitationibus, neque in verbis ambages, nil quod nexum interrumpat, aut alio quovis modo lectorem impediat, omnia plane et expedite procedunt. Possit tamen aliquis objicere, synonymum illum hemistichiorum parallelismum, Hebraeorum poësi familiarissimum, quo eadem sententia bis, imo pluribus interdum vicibus, mutatis tantum verbis, exprimitur, orationis simplicitati in carminibus Hebraicis haud parum officere. — Si quid judicamus, parallelismus synonymus orationis simplicitati adeo non officit, ut potius in hoc

ipso summa poëseos Hebraicae simplicitas conspiciatur. Namque orationis simplicitas non in eo cernitur, ut sententiam aliquam projicias, neque cures, utrum audienti vel legenti satis sit perspicua, an minus; contra simplicitas semper cum perspicuitate orationis conjuncta est. Jam vero Hebraei, sicuti omnes homines simpliciores, a definitionibus atque demonstrationibus, quibus notiones atque sententiae illustrari probarique solent, alienissimi sunt; neque id genus expositionis orationi poëticae omnino conveniret. Quod igitur pictores solent, qui tabulas suas huc illuc vertunt, ut commodissimâ luce collustrentur, idem et Hebraeorum poëtae faciunt, eandem nempe sententiam diversis modis exprimunt, quo magis eâ ratione illustretur atque confirmetur. Neque illa ejusdem sententiae repetitio orationis nexum turbat, aut ullam lectori molestiam exhibet; contra cum symmetriae legibus adstricta sit, jucundissima videtur [86]). Hinc efficitur, parallelismum synonymum orationis poëticae simplicitati nequaquam officere. Neque tamen infitiandum, seriores Hebraeorum poëtas ab antiquiorum simplicitate aliquantum descivisse; id quod de serioris aevi prophetis, maxime vero de *Ezechiele* praedicaverim, cujus stylum haud raro adfectatum, confusum, nimiisque ornamentis cumulatum deprehendes.

§. LXVI.

Alterum dicendi genus, in Hebraeorum carminibus obvium, *sententiosum* est, quod cum priori, simplici nempe, conjunctissimum, imo ex illo originem traxisse videtur. Solent enim, qui simplici utuntur sermone, breves esse, neque periodis artificiosis, sed sententiis leviter inter se connexis animi sensus proferre. Hoc dicendi genere antiquitatis potissimum sapientes usi sunt in

86) De parallelismi poëtici indole uberius disputabimus infra parte IV, ubi de externâ carminum Hebraicorum formâ agetur.

tradendis vitae morumque praeceptis. Et profecto ad docendum populum nil commodius brevibus ejusmodi sententiis, quae vel ab imperitioribus facili negotio memoriae mandantur. Quare apud omnes gentes popularis illa philosophia id dicendi genus proprium quasi sibi vindicavit. In Hebraeorum poësi sententiosum dicendi genus quam latissime regnat, et non solum in proverbiis, quibus maxime peculiare est, verum etiam in reliquis libris poëticis atque propheticis locum habet. Quin imo adeo ad poëticam Hebraeorum orationem pertinere videtur, ut cessante illo dicendi genere et poësin ipsam cessare existimes. Cui rei prophetarum scripta documento esse possunt. Etenim haud raro prophetae, serioris potissimum aevi, stylum variant, et modo poëticâ, modo prosâ oratione utuntur. Utriusque styli discrimen ut possis cognoscere, attendendum praeprimis, utrum brevioribus sententiis distincta sit oratio, an longiori diffluat verborum flumine. Quamdiu sententiosam deprehendas orationem, et cogitationibus sensibusque poëticus haud deerit color; contra simulac diffluere videas orationem, cogitationum quoque color poëticus evanescet. Quare recte *Lowthius* de sententioso dicendi genere in hunc modum judicat [87]: „Hoc igitur primum et praecipuum habet in poësi Hebraeâ sententiosum dicendi genus, ut orationem solutam et diffluentem coërceat, numerisque distinguat. — — Sed et in ceteris“, ut idem auctor docet, „magnam habet vim, multasque in se continet easque insignes virtutes. Nam ut saepe ex hoc fonte eximiam elegantiam, dulcedinem et nitorem ducunt sacra poëmata, ita in multis eidem suam debent sublimitatem et pondus: crebrae sibique instantes sententiae vel maxime concisam, gravem et incitatam faciunt orationem.“ Ceterum cum id dicendi genus Hebraeorum poëtis adeo sit familiare, ut tantum

87) De sacrâ Hebraeorum poësi, praelect. IV, p. 85, ex edit. J. D. Michaelis.

non semper illo utantur, exemplis rem illustrare eo minus necessarium videtur, quo magis ex iis, quae inferius in medium proferentur, illius generis ratio atque indoles cognosci poterit.

§. LXVII.

Tertius poëtici Hebraeorum styli character *sublimitate* continetur, qui, si alius cujusdam gentis poësi, certe Hebraeorum maxime peculiaris est. Omnis orationis sublimitas vel in cogitationibus sensibusque, vel in elocutione posita est. Sublimitas cogitationum sensuumque oritur, ubi magnus animus magnis rebus impletur atque commovetur. Quare sublimes ut prodeant cogitationes sensusque, necesse est, ut magnis gravibusque rebus poëtae animus intentus sit. Jam vero Hebraeorum poëtae maximam partem in rebus divinis versantur, quibus nihil majus graviusque; quare fieri non potuit, quin altius saepissime insurgerent, dummodo ingenio ne destituerentur. Quo quidem non tantum destituti non fuere, verum etiam excellentissimo praediti; adeo, ut neque in veterum, neque in recentiorum populorum poësi invenias, quod magnificentissimas illas divinae majestatis, potentiae atque benignitatis descriptiones, quae in Hebraeorum carminibus habentur, sublimitate possit aequiparare. Exempla frequentissime occurrunt, maxime in *Psalmorum* et *Jobi* libro, nec non *Jesaiae* vaticiniis; sufficiat unum alterumve in medium protulisse. Quid quaeso sublimius esse potest illâ divinae potentiae descriptione, quâ Psalmus CIV orditur:

יהוה אלהי גדלת מאד
הוד והדר לבשת:
עטה אור כשלמה
נוטה שמים כיריעה:
המקרה במים עליותיו
השם עבים רכובו
המהלך על כנפי רוח:

עשה מלאכיו רוחות
משרתיו אש להט:
יסד ארץ על מכוניה
בל תמוט עולם ועד:
תהום כלבוש כסיתו
על הרים יעמדו מים:
מן גערתך ינוסון
מן קול רעמך יחפזון:
יעלו הרים ירדו בקעות
אל מקום זה יסדת להם:
גבול שמת בל יעברון
בל ישובון לכסות הארץ:

Jova, Deus mi, perquam magnus es,
Gloriâ et majestate amictus.
Induit lucem, sicuti vestimentum,
Extendit coelum, tanquam aulaeum.
Contignat aquis coenacula sua,
Facit nubes currum suum,
Vehitur in alis venti.
Facit ventos nuntios suos,
Ignemque flammantem ministrum suum.
Fundavit terram super bases suas,
Ne vacillet in aeternum.
Abysso tanquam veste operueras eam,
Super montes stabant aquae;
Ab increpatione tuâ se proripuerunt,
A voce tonitrus tui fugatae sunt.
Escenderunt montes, subsederunt valles
In locum, quem constituisti illis.
Limites posuisti, ne transgrediantur,
Ne revertantur ad obruendam terram.

Hujus carminis quot versus, tot lumina: quantus ille, qui coelum immensum instar aulaei extendit, cujus mandatis venti atque fulmina parent, qui infinitum terrae pondus immobili fundamento fulcivit, cujusque minis vasta illa aquarum moles, quae in primordio mundi terram operuit, fugata cancellisque suis circumscripta fuit! — Haud deterioribus coloribus numinis divini omnipraesentia depingitur Psalmo CXXXIX, 7—13, in hunc modum:

אנה אלך מרוחך
ואנה מפניך אברח:
אם אסק שמים שם אתה
ואציעה שאול הנך:
אשא כנפי שחר
אשכנה באחרית ים:
גם שם ידך תנחני
ותאחזני ימינך:
ואמר אך חשך ישופני
ולילה אור בעדני:
גם חשך לא יחשיך ממך
ולילה כיום יאיר
כחשיכה כאורה:
כי אתה קנית כליתי
תסכני בבטן אמי:

Quo me conferam a spiritu tuo,
Quove a facie tuâ fugiam?
Si adscendam in coelum, tu illic es;
Si infernum stratum faciam, ecce tu ades.
Si alas aurorae sumerem,
Habitarem in finibus maris:
Etiam ibi manus tua me duceret,
Teneretque me dextera tua.
Si dicerem, certe caligo me occultabit:
Ipsa nox luce me circumfundit.

Etiam caligo non obscurat a te,
Et nox sicuti dies lucet,
Tenebrae sunt instar lucis.
Namque tu formasti renes meos,
Texuisti me in utero matris meae.

Quoties insignem hanc divinae omnipraesentiae descriptionem relegimus, admiratione excellentissimi poëtae ingenii adficimur, persuasumque habemus, nil grandius, nil sublimius in hoc genere posse reperiri. Certe vividiori imagine numinis divini scientia, cuncta penetrans, exprimi vix potuit, quam si diceretur, noctem ipsam atque caliginem in conspectu Dei diei lucisque instar lucere. Neque tamen in divinis tantum rebus exponendis altius insurgunt Hebraeorum poëtae; imo et in rerum terrenarum descriptione sublimes quam saepissime feruntur. Exempla habes in equi, hippopotami et crocodili descriptione, quam *Jobi* liber, cap. XXXIX, 22—28, XL, 15—XLI, 25, exhibet. Ne longi simus, unam tantum alteramve imaginem ex crocodili descriptione in medium proferemus:

עטישתיו תהל אור
ועיניו כעפעפי שחר:
מפיו לפידים יהלכו
כידודי אש יתמלטו:
מנחיריו יצא עשן
כדוד נפוח ואגמן:
נפשו גחלים תלהט
ולהב מפיו יצא:
בצוארו ילין עז
ולפניו תדוץ דאבה:
יחשב לתבן ברזל
לעץ רקבון נחושה:
ירתיח כסיר מצולה
ים ישים כמרקחה:

Sternutatio ejus lucem splendentem emittit,
Oculique tanquam palpebrae aurorae.
E faucibus faces prodeunt,
Scintillae ignis se proripiunt.
E naribus fumus exit,
Instar ollae aestuantis atque aheni.
Halitus ejus carbones incendit,
Flammaque ex ore prodit.
In collo ejus robur commoratur,
Et coram facie exsultat terror.
Ferrum pro paleâ habet,
Aes pro putrido ligno.
Fervefacit ollae instar abyssum,
Mare reddit sicut unguentorum commixtionem.

Sed locus nos deficeret, si, quaecunque sublimius effati sunt Hebraeorum poëtae, proferre velimus; quare unum id addimus, integrum fere *Jobi* librum, videlicet inde a tertio capite ad primum et quadragesimum usque, cogitationum sensuumque sublimitate esse insignem.

§. LXVIII.

Quod ad *elocutionis* attinet *sublimitatem*, ea vel in sententiarum conformatione, vel in verborum delectu locum habebit. Quamvis sermo Hebraicus et in formandis sententiis simplicissimus sit, et epithetorum, quibus maxime ornatur oratio, inopiâ quâdam laboret, tamen haud desunt et in elocutione, quae ad orationis sublimitatem conferant. Huc referas illum poëtarum Hebraeorum idiotismum, quo, spretâ vulgari alicujus rei appellatione, aliam ab insigni quâdam illius rei proprietate petitam usurpant. Sic Deus a potentiâ quam saepissime אביר, *fortis*, appellatur, Jes. XLIX, 26, Ps. CXXXII, 2, 5; eodem vocabulo et tauri nec non equi insigniuntur, Ps. XXII, 13, Jer. VIII, 16.

Sic solis sidus a calore חַמָּה, *candens*, luna ab albedine לְבָנָה, *alba*, Jes. XXIV, 23, Cant. VI, 10; principes a dignitate רוֹזְנִים, *graves*, Ps. II, 2; plateae a strepitu הֹמִיּוֹת, *strepentes*, Prov. I, 21, dicuntur. Ad poëticae elocutionis sublimitatem pertinet et adjectivi cum substantivo, non sine aliquâ emphasi, permutatio. Exempla habes Ps. X, 5, מָרוֹם מִשְׁפָּטֶיךָ מִנֶּגְדּוֹ, *altitudo judicia tua e conspectu ejus*, i. e. alta sive remota adeo improbus judicia divina existimat, ut nil inde sibi timeat; Ps. LXXXVIII, 19, מְיֻדָּעַי מַחְשָׁךְ, *noti mei caligo*, i. e. subtraxerunt se oculis meis, perinde ac si caligine obducti essent; Job. XXXIX, 20, הוֹד נַחְרוֹ אֵימָה, *magnificentia fremitus ejus* (equi) *terror*, i. e. terribilis. Interdum Hebraeorum poëtae verbi loco nomen substantivum adhibent, quae permutatio itidem nonnihil ad orationis dignitatem atque sublimitatem conferre videtur. Sic 1 Mos. XLIX, 4, רְאוּבֵן פַּחַז כַּמַּיִם, *Ruben lascivia instar aquarum*, i. e. Ruben lasciviâ intumuisti, sicut aquae ferventes intumescere solent. Similiter Jes. VIII, 5, — יַעַן כִּי מָאַס הָעָם הַזֶּה אֵת מֵי הַשִּׁלֹחַ וּמְשׂוֹשׂ אֶת רְצִין, *quia populus hicce spernit aquas Siloae — et gaudium Rezini*, i. e. et gaudet *Rezino*. Saepissime denique Hebraeorum poëtae, inque primis prophetae, personas permutant, ita quidem, ut a primâ ad tertiam, a tertiâ ad secundam, versâque vice a secundâ ad tertiam transsiliant. Quae personarum subita permutatio, sicuti ex animo vehementius commoto procedere solet, ita haud raro magnam vim magnumque pondus orationi conciliat. Exempla sexcenta in medium proferre possemus; sufficiat tamen unum alterumve adposuisse. Modo primam, modo tertiam personam, licet de eadem sermo sit, adhibitam vides *Jobi* cap. XII, 4, quo loco Jobus de se ipso in hunc modum loquitur:

שְׂחֹק לְרֵעֵהוּ אֶהְיֶה
קֹרֵא לֶאֱלוֹהַּ וַיַּעֲנֵהוּ
שְׂחוֹק צַדִּיק תָּמִים׃

Derisui socio suo ego sum,
Invocans Deum, qui eum (me) exaudit,
Derisui (est) integer, insons.

A tertiâ ad secundam personam transsilit oratio Jes I, 29, כי יבשו מאילים אשר חמדתם, *namque pudebit eos terebinthorum, quibus delectati estis;* a secundâ ad tertiam personam transitur 1 Mos. XLIX, 4:

כי עלית משכבי אביך
אז חללת יצועי עלה:

Namque conscendisti cubilia patris tui,
Tunc (ea) contaminasti, stratum meum conscendit.

Neque desunt exempla, quibus loco tertiae personae primam poëtae adhibent, et de rebus remotissimis perinde agunt, ac si ipsi praesentes adfuissent, unde haud parum vigoris, imo et sublimitatis orationi accedit. Sic Psalmo LXVI, 6, ubi de numinis divini beneficiis, in populum Hebraicum antiquissimis temporibus collatis, poëta ita loquitur, ac si ipse beneficiorum illorum particeps fuisset:

הפך ים ליבשה
בנהר יעברו ברגל
שם נשמחה בו:

Convertit (Deus) mare in terram siccam,
Per fluvium transierunt pedibus,
Tunc laetati sumus eo.

§. LXIX.

Quartum dicendi genus, quo Hebraeorum poëtae utuntur, est *tropicum* sive *figuratum.* Figuratum dicendi genus locum habet, ubi, ut *Lowthii* utamur verbis, una pluresve voces vel imagines in aliarum locum transferuntur, aut etiam aliis illustrandis inserviunt, ex aliquâ, quam cum iis habent, similitudine. Id dicendi genus cum latissime regnet, indolemque poëseos He-

braicae praeprimis patefaciat, uberius nobis exponendum. Ac primo quidem de fontibus agemus, e quibus Hebraeorum poëtae orationis figuras derivare solent; deinde ipsas orationis figuras, quae in carminibus Hebraicis maxime obviam sunt, considerabimus. Universam rerum naturam cognitionum humanarum uberrimum esse fontem, nemo est, qui eat infitias. Proinde haud quisquam mirabitur, et poëtas imagines, quibus ad illustrandas atque exornandas cogitationes suas utuntur, maximam partem e rerum naturâ petere. Id Hebraeorum quoque poëtae eo magis fecere, quo magis jam ipsâ vivendi ratione cum naturâ conjuncti essent. Possunt autem, quae a rebus naturalibus derivantur imagines, vel e rerum naturâ in universum, vel ex singularis cujusdam regionis locive naturâ repeti. Utriusque generis imagines frequentius in carminibus Hebraicis obviam sunt; frequentissimae tamen illae, quae a rebus naturalibus vel orienti, vel Palaestinae peculiaribus petitae sunt. Cum omnium fere gentium poëtis id commune habent Hebraei, ut res secundas adversasque cum luce tenebrisque, fragilitatem humanam cum herbis floribusque languescentibus, infirmitatem cum arborum foliis, huc illuc a vento agitatis, firmitatem atque securitatem cum montibus rupibusque, magna pericula cum aquarum voragine vel turbine componant. Quae imagines cum ex rerum naturâ in universum petitae sint, haud mirum, eas omnium fere gentium poëtis communes esse. Exempla in Hebraeorum carminibus sexcenta obviam sunt; juvabit unum tantum alterumve in medium protulisse. Lucis tenebrarumque imagine fortuna secunda atque adversa repraesentatur Psalmo XVIII, 29:

כי אתה תאיר נרי יהוה
אלהי יגיה חשכי:

Namque tu lucere facis lucernam meam, Jova,
Deus meus illustrat tenebras meas.

Similiter *Jobi* libro, cap. XI, 17:

ומצהרים יקום חלד
תעפה כבקר תהיה:

Et prae meridie exsurget tempus,
Tenebris (jam) obrutus, eris instar lucis matutinae.

Fragilitas humana herbae jam virentis, mox vero languescentis imagine notatur Psalmo XC, 6:

בבקר יציץ וחלף
לערב ימולל ויבש:

Mane floret et virescit (homo),
Ad vesperam succiditur et arescit.

Infirmitatem folium a vento propulsum, stipulaque arida designat *Jobi* libro, cap. XIII, 25:

העלה נדף תערוץ
ואת קש יבש תרדף:

Num folium excussum exagitabis,
Stipulamque aridam persequeris?

Firmitatem atque securitatem montes rupesque repraesentant Psalmo LXII, 7, 8:

אך הוא צורי וישועתי
משגבי לא אמוט:
על אלהים ישעי וכבודי
צור עזי מחסי באלהים:

Profecto ipse (Deus) rupes mea salusque,
Arx mea, non vacillabo;
In Deo salus mea atque gloria,
Rupes roboris mei, refugiumque meum in Deo.

Magna denique pericula perniciesque inundationis turbinisque imagine exhibentur *Jobi* libro, cap. XXVII, 20, 21:

תשיגהו כמים בלהות
לילה גנבתו סופה:
ישאהו קדים וילך
וישערהו ממקומו:

Consequuntur eum (improbum) aquarum instar terrores,
Noctu abripit eum turbo.
Tollit eum Eurus, peritque,
Deturbatque eum loco suo.

Multo frequentius autem, sicuti jam monitum fuit, Hebraeorum poëtae imagines suas a rebus naturalibus, quae vel in oriente in universum, vel in Palaestinâ praeprimis occurrunt, derivare solent. Ut ordine quodam procedamus, primo quas ab animantibus, deinde quas a rebus inanimatis petere solent imagines, recensebimus. Ex animantibus maxime leones, ursos, lupos, cervos, dorcades, bubalos, tauros, asinos, onagros, thoës, canes, struthiocamelos, columbas atque serpentes in figuratâ adhibent oratione; ex arboribus cedros, palmas oleasque; ex montibus *Libanum Carmelum*que. Leonum, bubalorum, taurorum canumque imagine improbi potissimum violentique notantur homines. Exemplum habes Psalmo XXII, 21, 22:

הצילה מחרב נפשי
מיד כלב יחידתי׃
הושיעני מפי אריה
ומקרני רמים עניתני׃

Libera a gladio animam meam,
E manu canis vitam meam;
Serva me a faucibus leonis,
Et a cornibus bubalorum exaudi me.

Neque tamen sola improbitas atque violentia, saepius etiam fortitudo atque fiducia leonis imagine repraesentatur, ut videre est in *Jacobi* morituri ad filios oratione, 1 Mos. XLIX, ubi *Judae* fortitudo atque fiducia v. 9 in hunc modum describitur:

גור אריה יהודה
מטרף בני עלית
כרע רבץ כאריה
וכלביא מי יקימנו׃

Catulus leonis est *Juda*,
A praedâ, mi fili, adscendisti;
Incurvat se, accumbit instar leonis,
Et instar leaenae, quis eum excitabit?

A leonum similiumque ferarum faucibus dentibusque et illud petitum, quod fractâ hominum improborum potentiâ, maxillae dentesque eorum fracti dicantur; sic Psalmo III, 8:

קומה יהוה הושיעני אלהי
כי הכית את כל איבי לחי
שני רשעים שברת:

Exsurge, Jova, serva me, mi Deus,
Tu enim contudisti omnium hostium meorum maxillam,
Dentes improborum confregisti.

Asinus operosi laboris atque tolerantiae, serpens astutiae et periculi, lupus rapacitatis imago, ut ex laudatâ illâ *Jacobi* oratione apparet:

יששכר חמר גרם
רבץ בין המשפתים:
וירא מנחה כי טוב
ואת הארץ כי נעמה
וים שכמו לסבל
ויהי למס עבד:
יהי דן נחש עלי דרך
שפיפן עלי ארח
הנשך עקבי סוס
ויפל רכבו אחור:
בנימין זאב יטרף
בבקר יאכל עד
ולערב יחלק שלל:

Issaschar est asinus robustus,
Recubans inter caulas;
Vidit quietis locum, quod sit bonus,

Terramque, quod sit amoena:
Et inclinavit humerum ad portandum,
Et factus est tributo obnoxius.
Dan erit serpens ad viam,
Cerastes juxta semitam;
Mordens calces equi,
Ut decidat eques retrorsum.
Benjamin est lupus rapax,
Mane devorabit praedam,
Et ad vesperam dividet spolia.

sa catulis orbata furorem, onager feritatem atque contumaciam, s et struthiocamelus solitudinem et lamentationem, cervus casque suavitatem, columba denique innocentiam et verecunm denotat; quorum longum esset singulorum exempla in mem proferre.

§. LXX.

Inter Palaestinae arbores nobilissimae cedrus, palma et olea; re ab his quoque frequenter imagines suas petunt Hebraeorum tae. Cedro, utpote arbore celsissimâ, omne excelsum atque erbum indicatur, ut Jesaiae cap. II, 12, 13:

כי יום ליהוה צבאות
על כל גאה ורם
ועל כל נשא ושפל:
ועל כל ארזי הלבנון הרמים והנשאים
ועל כל אלוני הבשן:

Namque diem (judicii) celebrat Jova exercituum
Super omne superbum elatumque,
Super omne excelsum, ut deprimatur;
Super omnes cedros *Libani* elatas celsasque,
Et super omnes terebinthos *Batanaeae.*

› in loco cedrorum atque terebinthorum imagine populi Heici proceres innuuntur. Cedro palmâque saepius et humani

corporis majestas atque proceritas notatur; sic in Cantico canticorum, cap. V, 15, VII, 8, adolescentuli statura cedro, puellaeque forma palmae comparatur. Haud raro etiam viri probi felicitas cedri palmaeque imagine repraesentatur; exemplum habes Psalmo XCII, 13—15:

צדיק כתמר יפרח
כארז בלבנון ישגה:
שתולים בבית יהוה
בחצרות אלהינו יפריחו:
עוד ינובון בשיבה
דשנים ורעננים יהיו:

Vir justus palmae instar florebit,
Sicuti cedrus in *Libano* augebitur,
Quae consitae sunt in domo Jovae,
In atriis Dei nostri florent;
Vel in senectute germinant,
Succosae viridesque sunt.

Eadem viri probi felicitas et oleae designatur imagine; sic Psalmo LII, 10:

ואני כזית רענן בבית אלהים
בטחתי בחסד אלהים עולם ועד:

At ego sum instar oleae virentis in domo Dei;
Confidam benignitati Dei in aeternum.

§. LXXI.

Inter montes Palaestinae eminent *Libanus Carmelus*que; proinde ab Hebraeorum poëtis saepius in figuratâ adhibentur dictione. Cum *Libanus* et altitudine et fertilitate conspicuus sit, omne augustum atque beatum illius imagine exhibetur. *Libano*, fertilitatem si spectes, haud inferior *Carmelus;* quare et hoc quam saepissime ad depingendam felicem rerum conditionem Hebraeorum poëtae utuntur. Imo haud raro utrumque mon-

tem in imaginibus suis conjungunt; ut videre est Jesaiae cap. XXXIII, 9:

אבל אמללה ארץ
החפיר לבנון קמל
היה השרון כערבה
ונער בשן וכרמל׃

Luget languetque terra,
Pudore suffusus est *Libanus* marcescitque,
Saron est instar deserti,
Excussere (folia) *Basan* atque *Carmelus.*

Similiter Jes. cap. XXXV, 2:

פרח תפרח ותגל אף גילת ורנן
כבוד הלבנון נתן לה
הדר הכרמל והשרון
המה יראו כבוד יהוה הדר אלהינו׃

Floret (desertum) exsultat atque jubilat,
Magnificentia *Libani* ei datur,
Decus *Carmeli* et *Saronis;*
Vident magnificentiam Jovae, decus Dei nostri.

In priori illo loco Judaeae per Assyrios vastatio *Libani* marcescentis, *Carmeli*que foliis orbati imagine repraesentatur; in altero magnificentia *Libani Carmeli*que decus deserto tributum, felicia denotat tempora, quae misero populo Hebraico eventura sint. — Sed longum esset, omnes imagines, quae a rebus naturalibus petuntur, recensere; circumspiciendi potius et reliqui fontes, e quibus Hebraeorum poëtae orationis suae lumina derivare solent. In his secundum locum tenet *vitae ratio,* quam prisci Hebraei secuti sunt; quare jam de imaginibus ex communi Hebraeorum vitâ petitis dicendum.

§. LXXII.

Hebraeorum vita antiquioribus temporibus, sicuti jam superius monitum fuit, simplicissima fuit. Agrorum maxime culturae

gregibusque pascendis dediti, opificiis, artibus et mercaturae parum tribuebant. Hinc facile colligas, et imagines e vitae communis ratione petitas ad agrorum potissimum culturam, rem pecuariam, et quae cum utroque illo vitae genere conjuncta sunt, pertinere. Quaecunque in agrorum culturâ locum habent negotia, arandi, serendi, metendi, triturandi atque ventilandi, in oratione figuratâ ab Hebraeorum poëtis usurpantur. Qui, ubi hominum agendi rationem, sive rectam, sive pravam describunt, saepissime arandi, serendi metendique imaginibus utuntur; sic in *Jobi* libro, cap. IV, 8:

כאשר ראיתי חרשי און
וזרעי עמל יקצרהו׃

Quemadmodum vidi, ut, qui pravitatem arabant,
Injuriamque serebant, eandem et meterent.

Eadem imago habetur etiam Psalmo CXXVI, 5, 6:

הזרעים בדמעה ברנה יקצרו׃
הלוך ילך ובכה נשא משך הזרע
בא יבא ברנה נשא אלמתיו׃

Qui cum lacrymis seminant, cum jubilo metent;
Lacrymans prodit (sator) portans semen spargendum,
Revertitur cum jubilo portans manipulos suos.

Messis, triturae, ventilationis, imo et vindemiae atque torcularis imaginibus saepissime strages atque excidium, maxime impiorum, notantur; ita Joelis cap. IV, 13:

שלחו מגל כי בשל קציר
באו רדו כי מלאה גת
השיקו היקבים כי רבה רעתם׃

Immittite falcem, namque matura est messis;
Venite, calcate, namque plenum est torcular;
Redundant lacus, namque magna est eorum nequitia.

Quo in loco propheta populares suos hortatur, ut gentes hostiles duce et auspice Jovâ aggrediantur, easque ad internecionem de-

t. Eadem sententia triturae et ventilationis imagine expri-
r Jesaiae cap. XLI, 15, 16, in hunc modum:

הנה שמתיך למורג
חרוץ חדש בעל פיפיות
תדוש הרים ותדק
וגבעות כמץ תשים:
תזרם ורוח תשאם
וסערה תפיץ אתם
ואתה תגיל ביהוה
בקדוש ישראל תתהלל:

Ecce, faciam te (gentem Israëliticam) tribulum
Acutum, novum, anceps;
Triturabis montes atque conteres,
Collesque paleae instar reddes.
Ventilabis eos, et ventus auferet,
Turboque disperget eos;
Tu vero exsultabis propter Jovam,
De sancto Israëlis gloriaberis.

ti ab agrorum culturâ, ita etiam a re pecuariâ Hebraeorum
ae frequentissime imagines suas mutuantur. Summum illum
di moderatorem, imo etiam Messiam, populique Hebraici
m persaepe pastorem, populumque gregem dicunt; beneficia
m, quae vel Deus, vel rex populo suo largitur, pascuorum
ine repraesentantur. Exemplum habes Psalmo XXIII, 1, 2:

יהוה רעי לא אחסר:
בנאות דשא ירביצני
על מי מנוחת ינהלני:

Jova pastor meus, non patiar inopiam;
In pascuis herbosis accubare me facit,
Ad aquas lenes aquatum me ducit.

m imagine et *Jeremias* propheta utitur cap. XXXIII, 1, 2,
li Israëlitici pastoribus, i. e. regibus atque principibus, gra-

ves poenas minitans, quod Jovae gregem, populum Hebraicum, a rectâ viâ avertissent atque perdidissent. Haud raro etiam ad rem venatoriam figurata recurrit oratio. Cassibus, laqueis atque pedicis magna pericula, imo instans pernicies designatur; sic *Jobi* libro, XVIII, 8—10:

כי שלח ברשת ברגליו
ועל שבכה יתהלך:
יאחז בעקב פח
יחזק עליו צמים:
טמון בארץ חבלו
ומלכדתו עלי נתיב:

Namque infertur in rete pedibus suis (improbus)
Et super casses ambulat;
Prehendit calcem ejus laqueus,
Tenetque eum tendicula;
Abscondita est in terra pedica ejus
Et decipula ejus super semitam.

§. LXXIII.

Praeter rem agrariam, pecuariam atque venatoriam permultae aliae in communi Hebraeorum vitâ habentur res, quas in tropicum sensum poëtae vertere solent. Haud raro a domiciliis orationis figuras petunt. Cum in tentoriis habitent, qui pastorali vitae dediti sunt, e tentorio evelli dicuntur, qui gravi aliquo infortunio opprimuntur, Ps. LII, 7. Saepius etiam a victu atque vestitu imagines poëticae derivantur. Convivio res prosperae, poculo quaecunque demum hominis sors, sive secunda, sive adversa, denotatur. Inprimis autem fortuna adversa poculi, vino inebriante repleti, sistitur imagine, quod Deus improbis hominibus, quos perniciei tradere decrevit, propinat, Jes. LI, 17, 22. Virtutes atque vitia vestimenti instar habentur; hinc est, quod Deus *majestate atque robore amictus* dicatur Ps. XCIII, 1, CIV, 1.

Tritissimum denique illud, accingere lumbos, quo expedita promtaque agendi ratio notatur; sumtâ imagine a laxis fluentibusque hominum orientalium vestibus, quas succingere solent, quoties operi, vel itineri faciendo sese praeparant.

§. LXXIV.

Neque tamen a profanis tantum rebus, verum etiam a sacris, quamvis rarius, Hebraeorum poëtae imagines orationis mutuantur. Inter sacros Hebraeorum ritus diversa lustrationis genera haud ultimum sibi vindicant locum. Simplicissimum lustrationis genus corporis atque vestimentorum lotione continebatur; quo ritu ii, qui leviorem aliquam immunditiam sibi contraxerant, nonnisi per unius diei spatium duraturam, purgabantur. Haec corporis atque vestimentorum lotio, lege praescripta, nonnunquam ad animi purgationem atque expiationem transfertur. Sic Psalmo LI, 4:

הרבה כבסני מעוני
ומחטאתי טהרני:

Saepius lava me ab iniquitate meâ,
Et a peccato meo mundum me redde.

Quod si vero quis hominis mortui, vel sepulcri ossiumque humanorum contactu sese contaminasset, vel etiam ab horrendo illo morbo, quem lepram dicunt, convaluisset, praeter corporis atque vestimentorum lotionem aliae quaedam requirebantur caerimoniae ad amovendam immunditiam. Praeparabatur enim lustralis aqua, vel admixtis aquae cineribus vaccae rufae, in hunc usum combustae, vel infuso in aquam mactatae avis sanguine; quo facto hyssopi fasciculus in aquam lustralem immergebatur, eoque expiandus adspergebatur. Quam cum hyssopi fasciculo adspersionem poëta figurate ad purgationem a peccatis transtulit citato jam Psalmo LI, 9:

תחטאני באזוב ואטהר
תכבסני ומשלג אלבין:

Expia me hyssopo, ut mundus sim,
Lava me, ut nive candidior evadam.

Interdum etiam a circumcisione orationis poëticae imagines petuntur. Circumcisionis cum ea esset significatio, ut, qui illam recepissent, veri Dei cultores putarentur, factum est, ut in oratione figuratâ circumcisi ii dicerentur, qui probe honesteque viverent; praeputiati contra ii, qui improbae inhonestaeque vivendi rationi dediti essent. Exemplum habes Jerem. cap. IV, 4:

המלו ליהוה
והסרו ערלות לבבכם
איש יהודה וישבי ירושלם
פן תצא כאש חמתי
ובערה ואין מכבה
מפני רע מעלליכם׃

Circumcidite vos Jovae,
Et demite praeputium cordis vestri,
Viri Judae et incolae Hierosolymorum;
Ne egrediatur, ignis instar, excandescentia mea,
Ardeatque, ut nemo possit exstinguere,
Propter pravitatem factorum vestrorum.

Quo in loco Jovae se circumcidere cordisque praeputium demere idem significat ac omnibus cogitationibus factisque, voluntati divinae contrariis, renuntiare, et nonnisi pietati virtutique operam dare. Neque tamen praeputiati ii tantum dicuntur, qui improbae vivendi rationi dediti sunt; verum etiam ii, qui alio quodam vel animi, vel corporis vitio laborant. Sic Jerem. cap. VI, 10, praeputiatas aures habere dicuntur, qui prophetae monitis nolunt obtemperare; sic 2 Mos. VI, 12, 30, *Moses* praeputiatus labiis dicitur, quod linguam ad loquendum parum habilem haberet. Inter sacros Hebraeorum ritus habetur etiam regum, sacerdotum atque prophetarum solennis unctio; quem ritum Hebraeorum

itae nonnunquam in alias quoque res transferunt, ut videre Psalmo XLV, 8:

אהבת צדק ותשנא רשע
על כן משחך אלהים אלהיך
שמן ששון מחבריך׃

Diligis justitiam et aversaris improbitatem;
Propterea auxit te Deus, Deus tuus,
Oleo laetitiae prae sodalibus tuis.

iae hoc loco habetur locutio, oleo laetitiae ungere, idem sonat que laetitiâ gaudiove afficere. Possit quidem locutio illa ab quoque unctione, quae in conviviis lautioribus locum habebat, rivari; verum cum argumentum Psalmi in celebrandis regis jusdam virtutibus versetur, solennem potius illam regum unctiom, quae in sacrorum rituum numero habebatur, a poëtâ spetam fuisse existimaverim.

§. LXXV.

Porro etiam ex priscâ gentis suae historiâ, sive traditione ationis suae lumina Hebraeorum poëtae petunt. In antiquorum mporum rebus nil majus, nil memorabilius Hebraeis visum it, quam mirus ille ex Aegypto egressus; quo tempore Deus anifestissima amoris sui in populum Israëliticum documenta edisse putabatur. Namque gravissimis castigationibus Aegypti gem permoverat, ut vel invitus populum Hebraicum dimitteret; lvum deinde per medios maris Erythraei fluctus eundem polum trajecerat, Aegyptiorum contra exercitum undis obruerat; ibus rebus apparebat, quam caros acceptosque Deus populi raëlitici majores habuerit. Quae amoris auxiliique divini testionia non potuere Hebraeorum animis non obversari, quotiesnque temporibus insequentibus rebus adversis premerentur, xiliique divini indigerent. Quare et Hebraeorum poëtae, maxime vero prophetae, quando tristem populi sui sortem lugent,

numinisque divini opem implorant, saepius mirabilem illum populi sui ex Aegypto egressum respiciunt. Sic *Jesaias* cap. LI, 9, 10:

עורי עורי לבשי עז זרוע יהוה
עורי כימי קדם דורות עולמים
הלוא את היא המחצבת רהב
מחוללת תנין:
הלוא את היא המחרבת ים
מי תהום רבה
השמה מעמקי ים דרך
לעבר גאולים:

Expergiscere, expergiscere, indue robur, brachium Jovae,
Expergiscere, sicut in diebus temporis prisci, aetatibus antiquitatis;
Nonne tu excidisti *Rahabum* (Aegyptum),
Confodisti crocodilum?
Nonne tu exsiccasti mare,
Aquas aequoris magni?
Tu profunda maris pervia reddidisti,
Ut transirent redemti.

In hoc loco Jova recordatione eximii illius auxilii, quod discedenti ex Aegypto populo Israëlitico praestiterat, se ipsum excitat, ut eundem populum simili ratione e captivitate Babylonicâ redimat, inque patriam restituat. — Praeter mirabilem illum ex Aegypto egressum, et legum divinarum in monte *Sinai* promulgatio ab Hebraeis maximi habita fuit. Quae legum divinarum promulgatio cum inter fulgura, tonitrua terraeque motum facta fuerit, Hebraeorum poëtae, ubi Jovae, populo suo opem laturi, majestatem atque potentiam describunt, saepius ad terribilem illum numinis divini in monte *Sinai* descensum recurrunt, indeque imagines suas mutuantur. Exemplum obviam est in egregio

Habakuki hymno, quo Jovae, populo Israëlitico opem laturi,
jestas vividissimis coloribus depingitur in hunc modum:

אלוה מתימן יבוא
וקדוש מהר פארן סלה
כסה שמים הודו
ותהלתו מלאה הארץ:
ונגה כאור תהיה
קרנים מידו לו
ושם חביון עזה:
לפניו ילך דבר
ויצא רשף לרגליו:
עמד וימדד ארץ
ראה ויתר גוים
ויתפצצו הררי עד
שחו גבעות עולם
הליכות עולם לו:

Deus *Themane* venit,
Et sanctus a monte *Pharan*, Selah.
Texit coelum magnificentia ejus,
Implevitque terram gloria ejus.
Et splendor, lucis instar, erat,
Cornua (radii) ex ejus manu (emanabant)
Et illic abscondita erat ejus majestas.
Ante eum incedebat pestis,
Luesque prodibat e vestigiis ejus.
Substitit et mensus est terram,
Spectavit dissipavitque gentes;
Dissiluerunt montes aeterni,
Subsederunt colles perpetui,
Viae ejus aeternae. etc.

rdum etiam immanem illam orbis terrarum inundationem,
Noachi tempore evenisse traditur, in describendâ numinis

divini majestate atque potentiâ Hebraeorum poëtae respicere videntur. Sic *Amos* cap. IX, 5, 6:

ואדני יהוה הצבאות
הנוגע בארץ ותמוג
יאבלו כל יושבי בה
ועלתה כיאר כלה
ישקעה כיאר מצרים:
הבונה בשמים מעלותו
ואגדתו על ארץ יסדה
הקרא למי הים
וישפכם על פני הארץ
יהוה שמו:

Dominus, Jova exercituum,
Si contigerit terram, diffluit,
Lugentque omnes incolae ejus;
Inundatur, tanquam *Nilo*, universa,
Et submergitur, tanquam fluvio Aegypti.
Aedificavit in coelis coenacula sua,
Fornicemque suum super terrâ fundavit.
Vocat aquas maris,
Effunditque eas super terram,
Jova nomen ejus.

Saepius tamen atque apertius a diro illo casu, quo *Sodoma*, *Gomorrha* urbesque adjacentes pessum datae fuere, orationis petuntur imagines; sic Psalmo XI, 6:

ימטר על רשעים פחים אש וגפרית
ורוח זלעפות מנת כוסם:

Pluit (Jova) super improbos fulmina et sulphur,
Ventusque ardens portio calicis eorum.

Maxime vero homines impii atque scelerati cum *Sodomae Gomorrhaeque* incolis componuntur; ut videre est *Jeremiae* cap. XXIII, 14, quo in loco *Hierosolymorum* prophetae deorum

fictorum cultui dediti, et *Sodomae Gomorrhae*que incolis similes esse dicuntur.

§. LXXVI.

Denique ex mythicâ quoque gentis suae historiâ Hebraeorum poëtae imagines suas mutuantur. Sicuti omnibus, tum antiquiorum, tum recentiorum temporum populis mythica sua historia, ita eadem apud Hebraeos quoque locum habuit; cujus cum in omnibus fere Veteris Testamenti scriptis, tum maxime in Geneseos libro haud pauca reperiuntur vestigia. Ad mythicam Hebraeorum historiam inter cetera referenda sunt, quae de inferorum sede passim in Veteris Testamenti scriptis traduntur. Locus ille recipiendis defunctorum umbris destinatus, quem Hebraei שאול, *Scheol*, dixere, subterraneus, caliginosus et tristissimus putabatur; in quo defunctorum umbrae, omni sentiendi, cogitandi atque reminiscendi vi destitutae, dormientibus similes degerent. Illius loci incolis sese comparat auctor Psalmi LXXXVIII, v. 5, 6, in hunc modum:

נחשבתי עם יורדי בור
הייתי כגבר אין איל:
במתים חפשי
כמו חללים שכבי קבר
אשר לא זכרתם עוד
והמה מידך נגזרו:

Accensendus sum illis, qui in sepulcrum descendunt,
Similis sum viro robore destituto;
Inter defunctos (sum) imbecillis,
Interfectorum instar, in sepulcro cubantium,
Quorum non recordaris amplius,
Et qui e manu tuâ excisi sunt.

In ejusdem Psalmi verss. 11, 12, 13, de inferno haec habentur:

הלמתים תעשה פלא
אם רפאים יקומו יודוך סלה:

הֲיְסֻפַּר בַּקֶּבֶר חַסְדֶּךָ
אֱמוּנָתְךָ בָּאֲבַדּוֹן׃
הֲיִוָּדַע בַּחֹשֶׁךְ פִּלְאֶךָ
וְצִדְקָתְךָ בְּאֶרֶץ נְשִׁיָּה׃

Num defunctis exhibebis miraculum,
Num umbrae resurgent, teque celebrabunt? Selah.
An memorabitur in sepulcro benignitas tua,
Fides tua in orco?
Num agnoscetur in tenebris miraculum tuum,
Et justitia tua in terrâ oblivionis?

Sed nobilissimus de inferis locus, eorumque vividissima imago habetur *Jesaiae* XIV, 9—17; quo in loco omnes inferi, regis Babyloniae adventu, excitati fuisse, regemque illum irrisione atque conviciis excepisse dicuntur. Ex hoc loco, quem non à *Jesaiâ*, sed a seriore quodam scriptore, postremis exilii Babylonici temporibus degente, profectum putamus, discas, Hebraeorum de inferis opinionem eo tempore, quo oraculum illud editum fuit, magis jam explicatam fuisse, ita ut ad Graecorum de inferis placita aliquantulum accederet. Neque tamen illis consentire possumus, qui ex Psalmi XVIII versu 5, infernos quoque fluvios ab Hebraeis creditos fuisse existimarent [88]). Namque qui ibi memorantur *torrentes Belial*, נַחֲלֵי בְלִיַּעַל, non sunt fluvii inferni, verum *fluvii perniciei*, sive *perniciosi*. Ad mysticam historiam et aurea illa aetas referenda, quam Hebraei, adventante Messiâ, exorturam sibi sperabant. Ex felicissimi illius temporis notione pulcherrimas Hebraeorum poëtae deducunt imagines. Fingunt enim, tempore illo novum coelum novamque terram creatum iri; solis lunaeque lucem multo splendidiorem, quam antehac futuram, discordiam bellaque cessatura, adeo quidem, ut ex gladiis vo-

88) J. D. Michaelis in epimetro ad Lowthii praelectionem IX de sacrâ Hebraeorum poësi; p. 204.

meres, ex hastis falces parentur; belluas perniciosissimas omnem feritatem exuturos, ita ut lupi cum agnis, leones cum vitulis placide degant. Juvabit e multis unam tantum in medium protulisse imaginem, quae habetur Jesaiae cap. XI, 6—8:

וגר זאב עם כבש
ונמר עם גדי ירבץ
ועגל וכפיר ומריא יחדו
ונער קטן נהג בם:
ופרה ודב תרעינה
יחדו ירבצו ילדיהן
ואריה כבקר יאכל תבן:
ושעשע יונק על חר פתן
ועל מאורת צפעוני גמול ידו הדה:

Habitat lupus cum agno,
Pardusque cum hoedo recumbit,
Vitulus, catulus leonis bosque saginatus simul,
Et puerulus parvus ducit eos.
Vacca et ursa pascuntur,
Simul recubant pulli earum,
Et leo, sicuti bos, paleâ vescitur.
Ludit lactens ad cavernam aspidis,
Et in caveam viperae ablactatus manum suam immittit.

Missis aliis suavissimis aureae aetatis imaginibus, quae apud *Jesaiam* ceterosque prophetas habentur, id tantum addimus, Hebraeorum poëtas, in describendis felicissimis illis temporibus Graecorum atque Romanorum poëtis palmam nisi praeripiunt, certe illis optimo jure aequiparandos esse. Haud raro etiam a fabulosis illis animalibus, quae *Cherubim*, כרובים, dicuntur, orationis poëticae imagines derivantur. Finguntur animalia illa ex hominis, tauri, leonis et aquilae, praestantissimorum animantium, formâ composita, et ad divini numinis majestatem repraesentandam adhibentur. Quare in operculo arcae foederis, aulaeisque sacris

imago eorum conspiciebatur. Imo etiam in nubibus Jovae thronum portare putabantur. Hinc Jova *Cherubis* insidere atque invehi dicitur Psalmis LXXX, 2, XCIX, 1, XVIII, 11; quem postremum locum haud poenitebit adposuisse:

וַיֵּט שָׁמַיִם וַיֵּרַד
וַעֲרָפֶל תַּחַת רַגְלָיו׃
וַיִּרְכַּב עַל כְּרוּב וַיָּעֹף
וַיֵּדֶא עַל כַּנְפֵי רוּחַ׃

Inclinat coelum descenditque,
Et caligo sub pedibus ejus;
Vehitur super Cherubis volatque,
Et fertur super alis venti.

In eximio hoc loco, v. 8—17, cujus fragmentum duntaxat in medium protulimus, Jovae, in auxilium poëtae adventantis majestas describitur. Accurrit Jova, turbine, fulminibus tonitribusque eum comitantibus. Qui ubi super *Cherubis* vehi dicatur, eâ imagine nil aliud, nisi ingruens tempestas, in quâ Jova praesens putabatur, portantibus thronum ejus *Cherubis*, innuitur.

§. LXXVII.

Hi fere sunt fontes, e quibus figurata poëtarum Hebraeorum profluit oratio; sequitur, ut ipsas orationis figuras, quae in carminibus Hebraicis potissimum obviam sunt, consideremus. Inter diversas, quas dicendi magistri enumerant, orationis figuras, Hebraeorum poëtis maxime familiares sunt *metaphora*, *comparatio*, *prosopopoeia*, *allegoria* atque *parabola*. De metaphorâ non est, quod separatim agamus; siquidem ex exemplis, hactenus in medium prolatis, quae fere omnia metaphoris continebantur, hujus figurae indolem usumque in Hebraeorum poësi satis apparuisse existimamus. Quare de comparatione, prosopopoeiâ, allegoriâ atque parabolâ adhuc dicendum. Inter comparationem atque metaphoram id obtinet discrimen, ut haec dictionem sive sententiam

figuratam in locum propriae, omissâ hac, substituat; illa vero utrumque, et rei imaginem, et rem ipsam componat. *Comparationis* iidem fontes atque dictionis figuratae in universum; saepissime tamen Hebraeorum poëtae imagines, quas similitudinis gratiâ adhibent, a rebus naturalibus, vel ex vitae communis usu mutuantur. Sic Jovae benignitas cum coeli altitudine, regis gratia cum nube, tempore verno pluviam fundente, vitae fuga atque vanitas cum fumo, improbi sors cum glumâ paleâque, a ventis dissipandâ, componuntur. Quod de poëticâ Hebraeorum oratione in universum jam superius monitum fuit, brevibus videlicet eam gaudere sensentiis, id ipsum et in comparationibus obtinet. Rarissime Hebraeorum poëtae imagines, quas in comparatione adhibent, uberius explicant, id quod Graecorum, Romanorum recentiorumque populorum poëtae solent; saepius unâ alterâve breviori sententiâ, uno alterove hemistichio omnis absolvitur comparatio, ut videre est Psalmo CII, v. 4, 5, 7, 8:

כי כלו בעשן ימי
ועצמותי כמוקד נחרו:
הוכה כעשב ויבש לבי
כי שכחתי מאכל לחמי:
דמיתי לקאת מדבר
הייתי ככוס חרבות:
שקדתי ואהיה
כצפור בודד על גג:

Namque evanuerunt, fumi instar, dies mei,
Ossaque mea, tanquam sarmentum, combusta sunt.
Percussum est, instar herbae, exaruitque cor meum,
Etenim oblitus sum panem meum comedere.
Similis sum pelecano deserti,
Factus sum instar bubonis in locis desolatis.
Insomnis sum, redditusque
Sicut avis solitaria in tecto.

Interdum tamen uberius expositas videas imagines, quibus in comparatione Hebraeorum poëtae utuntur. Exemplum habes *Jobi* libro, cap. VI, 15—21, quo in loco *Jobus* perfidos amicos suos cum torrente, imbribus et nive intumescente, sed mox, ingruente solis aestu, deficiente atque exarescente, comparat, eamque imaginem commodissimis exornat adjunctis in hunc modum:

אחי בגדו כמו נחל
כאפיק נחלים יעברו׃
הקדרים מני קרח
עלימו יתעלם שלג׃
בעת יזרבו נצמתו
בחמו נדעכו ממקומם׃
ילפתו ארחות דרכם
יעלו בתהו ויאבדו׃
הביטו ארחות תמא
הליכות שבא קוו למו׃
בשו כי בטח
באו עדיה ויחפרו׃
כי עתה הייתם לא
תראו חתת ותיראו׃

Fratres mei perfide agunt, instar torrentis,
Instar rivorum in convallibus dilabuntur,
Qui turbidi sunt a glacie,
Quibus abdidere se nives;
Tempore, quo coarctantur, evanescunt,
Aestu exstinguuntur e loco suo.
Deflectunt viatorum agmina iter suum,
Adscendunt in desertum et pereunt;
Prospiciunt agmina *Themae*,
Commeatus *Sabae* spem collocant in illis (rivis).
Erubescunt, quod confiderint,
Deveniunt illuc, et pudore suffunduntur:

Sic vos nunc nihili estis,
Videtis terrorem et timetis.

§. LXXVIII.

Etsi imagines, quas in comparatione adhibent Hebraeorum poëtae, ut plurimum rebus comparandis convenientissimae sint: tamen nonnunquam, saltem pro nostrorum temporum sensu, justo humiliores videri possint. Certe haud quisquam poëtarum recentiorum hominem miseriis exhaustum cum utre, in fumo exsiccato, Ps. CXIX, 83, aut fiduciam in hominem perfidum cum dente fracto, et pede vacillante, Proverb. cap. XXV, 19, vel denique oppida, male munita, cum ficubus primitivis, quae concussâ arbore ori comedentis incidunt, Nahum III, 12, comparabit. Verum haec et similia ex priscorum temporum simplicitate explicanda sunt; quibus, quae vera videbantur, simul etiam convenientia atque decora putabantur. Certe apud *Homerum*, principem poëtarum, quam plurimas invenies imagines, quae pro nostrorum temporum sensu humiles videntur; quae tamen res priscâ illâ simplicique aetate longe secus se habuit.

§. LXXIX.

Sicuti imagines, ab Hebraeorum poëtis in comparatione adhibitae, interdum humiliores sunt, ita nonnunquam justum modum excedere videntur. Exempla obviam sunt in *Cantico canticorum*, ubi puellae caput cum monte *Carmelo*, oculi cum piscinis *Hesbonis*, nasus cum *Libani* turri, quae *Damascum* spectat, collum cum *Davidis* turri, in quâ mille clypei suspensi sunt, componuntur. Neque tamen haec pro nostrâ sentiendi cogitandique ratione dijudicanda sunt. Qui orientis oras inhabitant populi vividiori, quam occidentis incolae, gaudent imaginandi vi, quae cuncta splendidiori luce collustrat, mirumque in modum auget. Quare haud mirandum, et Hebraeorum poëtas in descriptionibus

et comparationibus suis nonnunquam ultra illos limites evagari, quos, pro nostro recti pulchrique sensu, transsilire vetitum habetur. Ceterum in eodem illo *Cantico canticorum* elegantissimae occurrunt comparationes, maxime in adolescentuli puellaeque, de quibus illic sermo, descriptione. En quibus imaginibus egregia adolescentuli forma exornetur cap. V, 11—15:

ראשו כתם פז
קוצותיו תלתלים שחרות כעורב:
עיניו כיונים על אפיקי מים
רחצות בחלב ישבות על מלאת:
לחיו כערוגת הבשם מגדלות מרקחים
שפתותיו שושנים נטפות מור עבר:
ידיו גלילי זהב ממלאים בתרשיש
מעיו עשת שן מעלפת ספירים:
שוקיו עמודי שש מיסדים על אדני פז
מראהו כלבנון בחור כארזים:

Caput ejus aurum solidum,
Cincinni ejus penduli, nigrique, instar corvi.
Oculi ejus sicuti columbae ad rivos aquarum,
Lotae lacte, ad plena fluenta sedentes.
Genae ejus tanquam areolae balsami, turres (areolae) herbarum aromaticarum;
Labia ejus lilia, stillantia myrrham redundantem.
Manus ejus annuli aurei, impleti chrysolithis,
Venter ejus artificium eburneum, distinctum sapphiris.
Crura ejus columnae marmoreae, fundatae basibus aureis,
Forma ejus sicuti *Libanus*, eximia instar cedrorum.

Haud deterioribus coloribus et puellae forma depingitur cap. IV, 1—5, VI, 4—7, VII, 2—8:

הנך יפה רעיתי הנך יפה
עיניך יונים מבעד לצמתך
שערך כעדר העזים

שגלשי מהר גלעד:
שניך כעדר הקצובות
שעלו מן הרחצת
שכלם מתאימות
ושכלה אין בהם:
כחוט השני שפתותיך
ומדברך נאוה
כפלח הרמון רקתך מבעד לצמתך:
שני שדיך כשני עפרים
תאומי צביה הרעים בשושנים:

Ecce pulchra es, amica mea, ecce venusta,
Oculi tui sunt columbae medio e velo tuo,
Coma tua instar gregis caprarum,
Quae procumbunt in monte *Gilead.*
Dentes tui, sicuti grex ovium tonsarum,
Quae adscendunt e lotione,
Quae omnes gemelliparae sunt,
Et quarum nulla pullis orbata est.
Instar fili coccinei labia tua,
Et sermo tuus jucundus.
Sicuti segmentum mali punici genae tuae medio e velo tuo,
Duae mammae tuae ceu duo hinnuli,
Gemelli dorcadis, pascentes inter lilia.

Etsi fatendum sit, imagines in comparationibus hisce adhibitas a sensu nostro aliquantum alienas esse: tamen haud quisquam negabit, eas convenientissimas atque pulcherrimas esse; quin imo adfirmare ausim, neque in Graecorum, neque in Romanorum carminibus reperiri quidquam, quod splendidissimis illis adolescentuli puellaeque descriptionibus in *Cantico canticorum* obviis palmam praeripere possit.

§. LXXX.

Comparationem excipiat *prosopopoeia*, quae figura in eo maxime conspicitur, quod rebus, vitâ, sensu, ratione et oratione destitutis, vita, sensus, ratio atque oratio tribuantur. Inter omnes dicendi figuras vix ulla vividiorem reddit orationem, quam prosopopoeia. Hac figurâ frequentissime utuntur Hebraeorum poëtae; cujus rei ratio in vehementiori imaginandi vi quaerenda, quâ orientis populi praediti esse solent. Vehementior illa imaginandi vis omnibus rebus, coelo, terrae, mari, montibus, fluviis, vitam atque actionem largitur, unde, de quâ agimus, prosopopoeia originem trahit. Cujus figurae cum innumera in promtu sint exempla, sufficiat, unum tantum alterumve in medium protulisse. Coelo, terrae, mari, agris arboribusque sensus tribuitur, monenturque, ut ad Jovae in terras descensum laetentur, Psalmo XCVI, 11—13:

ישמחו השמים ותגל הארץ
ירעם הים ומלאו:
יעלז שדי וכל אשר בו
אז ירננו כל עצי יער:
לפני יהוה כי בא
כי בא לשפט הארץ:

Laetetur coelum, et exsultet terra,
Fremat mare et incolae ejus;
Exsultent agri, et quidquid in illis,
Jubilent omnes arbores sylvae
Coram Jovâ; namque venit,
Venit ad judicandam terram.

Eadem prosopopoeia in plurimis aliis locis recurrit; sic Psalmo XIX, 2—7, quo in loco coelum, dies noctesque Jovae gloriam enarrare, lucidumque illud solis sidus, heroïs instar, in emetiendo curriculo suo laetari dicitur. Similiter etiam Psalmis XCVIII, 7—9, CXLVIII, 3—5, 7—10, coelum, sol, luna, stellae, terra, montes, mare, fluvii, venti, fulmina, grando,

nives, nebulae, animalia arboresque provocantur, ut numinis divini majestatem atque potentiam laudibus efferant. Neque tamen corporeis tantum atque visibilibus rebus, verum etiam iis, quae non sub sensus cadunt, ut virtutibus, vitiis aliisque abstractis notionibus vitam et sentiendi agendique facultatem Hebraeorum poëtae tribuere solent. Exempla splendidissima obviam sunt Proverb. cap. VIII et IX, 1—5, 13—17. In priori illo loco sapientia mulieris specie inducitur, mortales ad studium sui invitans. Commendat sese ut vitae ducem, honorum, divitiarum omnisque felicitatis auctorem, praedicatque, se ante conditam rerum naturam numini divino sociam, consiliorumque participem adfuisse. In altero loco eadem sapientia magnificam domum sibi exstruxisse, convivium adparasse, puellasque suas emisisse dicitur, ut imperitos ad paratas epulas invitent. Tertius denique locus stultitiam mulieris impudicae imagine repraesentat, quae ad domus suae ostium sedet, et praetereuntes invitat, ut domum suam ingrediantur, furtivisque illic voluptatibus fruantur. — Audacissimam hujus generis prosopopoeiam exhibet Psalmus XLIX, 15, quo in loco mors improbos ovium instar pascere dicitur:

כצאן לשאול שתו
מות ירעם
וירדו בם ישרים לבקר
וצירם לבלות שאול
מזבל לו

Ovium instar in orcum aguntur (improbi),
Mors pascet eos,
Et calcabunt eos probi illico,
Speciemque eorum absumet orcus,
Domicilio suo exuentur.

Haud minori audaciâ et in *Jobi* libro, cap. XLI, 14, in crocodili collo robur pernoctare, terrorque ante eum exsultare perhibetur:

בצוארו ילין עז
ולפניו תדוץ דאבה:

In collo ejus pernoctat robur,
Et ante eum exsultat terror.

§. LXXXI.

Ad prosopopoeiam referendum etiam tritissimum illud Hebraeorum poëtis dicendi genus, quo rei alicujus ad alteram relatio ita exprimitur, ut illa hujus *filius*, vel *filia* dicatur. Sic lucifer *filius aurorae* adpellatur, Jes. XIV, 12; sagittae *filii arcûs* vel *pharetrae*, Job. XLI, 20, Thren. III, 13; tres illae in caudâ ursae majoris stellae *filii ursae*, Job. XXXVIII, 32; morbus lethalis *primogenitus mortis*, Job. XVIII, 13; incolae urbis vel regionis cujusdam *filia* ejusdem, Jes. XXXVII, 22, Jerem. XLVI, 19; aves *filiae cantûs*, Eccles. XII, 4; pupilla *filia oculi*, Ps. XVII, 8, etc. Simili ratione, quamvis rarius, etiam patris, matris, fratris sororisque adhibentur vocabula, ut videre est *Jobi* cap. XVII, 14, quo loco *Jobus*, atrocissimo morbo adflictus, mortique proximus, dicit:

לשחת קראתי אבי אתה
אמי ואחתי לרמה:

Putredini acclamo, tu es pater meus,
Matrem sororemque meam vermem appello,

i. e. jamjam in sepulchro prostratus jacere, et adeo putredine vermibusque circumdatus, illisque consociatus esse mihi videor, ut proximi cognati, parentes et liberi, fratres sororesque consociati esse solent.

§. LXXXII.

Haud raro Hebraeorum poëtae metaphoras, quibus utuntur, longius extendunt, unde nova dicendi figura oritur, quam *allegoriam* dicendi magistri appellant. *Allegoria* nomen ab *ἄλλο*

ἀγορεῦν, i. e. *aliud dicere* (quam sentias) traxit; ex quo vocabuli etymo facile perspicias, allegoriam non esse nisi plurium sententiarum in alium sensum, quam qui verbis proprie indicatur, translatio. Cum in allegoriâ plures cumulentur imagines, eâque re orationis sensus facile obscurior reddatur, nisi imagines ipsae perspicuae sint, rebusque designandis appositae: cavendum erit, ne imagines, in allegoriâ adhibitae, vel a rebus minus cognitis petitae, vel minus convenienter translatae sint. Quod ni fiat, res per allegoriam illustrandae atque exornandae non tantum non illustrabuntur atque exornabuntur, verum contra obscurae deformesque reddentur. Hebraeorum poëtae imagines, quibus in allegoriis suis utuntur, maxime a rebus satis cognitis petunt, easque haud inconvenienter transferunt; quare quam plurimae, quae in carminibus Hebraicis obviam sunt, allegoriae et perspicuitate et commoditate sese commendant. Exemplo sit Proverb. V, 15—19, quo in loco mariti monentur, legitimae uxori suae inhaereant, neve alienas sectentur mulieres; quae sententia per allegoriam in hunc modum expressa est:

שתה מים מבורך
ונוזלים מתוך בארך:
יפצו מעינתיך חוצה
ברחבות פלגי מים:
יהיו לך לבדך
ואין לזרים אתך:
יהי מקורך ברוך
ושמח מאשת נעוריך:
אילת אהבים ויעלת חן
דדיה ירוך בכל עת
באהבתה תשגה תמיד:

Bibe aquam ex cisternâ tuâ,
Et fluenta ex puteo tuo.
Diffundantur fontes tui foras,

Per plateas rivi aquarum.
Sint tibi soli,
Neque aliis tecum.
Sit scaturigo tua benedicta,
Et delecteris uxore juventutis tuae.
Cerva amabilis, et rupicapra venusta (uxor tua).
Ubera ejus satient te omni tempore,
In ejus amore oberres perpetuo.

Mirari subit, simplicissimae hujus allegoriae sensum nonnullos interpretes adeo fugisse, ut vel legis Mosaicae observationem, vel verae sapientiae studium, vel denique rerum suarum curam commendari hoc loco existimaverint. At vero et orationis nexus, et loquendi usus, et ipsa auctoris verba apertissime docent, nil nisi legitimae uxoris amorem maritis commendari. Namque cum inde a versu tertio ad decimum quartum usque amores meretricii improbentur, convenientissimum erat, amorem conjugalem in sequentibus commendari. Accedit, quod Proverb. IX, 17, aquarum furtivarum imagine amores illiciti designentur; unde conjicias, nostro in loco putei proprii imagine amores legitimos notari. Denique et ipsa versus 18 verba: *delectare uxore juventutis tuae*, docent, neque de legis Mosaicae observantiâ, neque de verae sapientiae studio, verum de amore conjugali sermonem esse.

§. LXXXIII.

Neque tamen Hebraeorum carminibus desunt allegoriae, quarum imagines, etsi a rebus cognitis petitae sint, haud exiguâ obscuritate laborant; cujus rei causa in eo quaerenda, quod certa desiderentur indicia, quibus imaginum ad res designandas translatio innotescat. Exemplo sit celebratissima illa allegoria Eccles. XII, 2—6, quâ senectutis incommoda sequentibus describuntur imaginibus: „obscurantur sol, lux, luna atque sidera; redeunt

nubes post imbrem, tremunt custodes domus, et incurvant se viri fortes; cessant molentes et caligo offunditur spectantibus per fenestras; clauduntur fores in plateis; surgitur ad vocem aviculae et deprimuntur omnes filiae cantûs; timentur loca alta, et terrores in viâ sunt; spernitur amygdalus, oneri sibi est locusta, et irrita est capparis; circumeunt in plateâ plangentes; amovetur funiculus argenteus, frangitur lecythus aureus, rumpitur hydria ad fontem et diffringitur trochlea ad puteum." In hac allegoriâ senectutis incommoda depingi, nemo est, qui eat infitias; sed in singularum imaginum explicatione mirum in modum interpretes dissentiunt. Alienum a proposito nostro videtur, difficillimum locum justo commentario illustrare; quare sufficiat, imaginum illarum sensum propriis verbis quam brevissime reddidisse. Monet igitur *Ecclesiastes*, indulgendum esse genio, ita tamen, ut et numinis divini ratio habeatur, priusquam aetas senilis ingruat, quâ omnis deficiat hilaritas atque laetitia, continuae instent molestiae, brachia manusque tremant, pedes nutent, dentes deficiant, oculi hebescant, labia contrahantur, somnus fugiat, concentus musici non oblectent, adscensus in loca editiora, imo ipse in viâ planâ incessus molestus sit, amoena quaeque spernantur, corporis membra, agilia quondam, ingravescant, cibi Venerisque desiderium evanescat, praeficae, moriturum plancturae, per vicos circumeant, omnis denique humani corporis machina dissolvatur.

§. LXXXIV.

Haud defuere, qui in poëticis Hebraeorum scriptis, maxime vero in Prophetarum libris Psalmorumque volumine, *mysticas* quoque *allegorias* locum habere contenderent. Quam sententiam antiquiores potissimum Sacrae Scripturae interpretes tuiti sunt, quin etiam *Lowthius* amplexatur, cujus decima prima de sacrâ Hebraeorum poësi praelectio allegoriae mysticae indolem atque

proprietates exponit. In limine praelectionis hujus *Lowthius* monet: „In Hebraeorum sacris res, loca, tempora, officia, ceteraque hujusmodi, duplicem quasi personam sustinent; unam propriam, alteram allegoricam; adeoque in eorum scriptis ita tractari possunt, ut vel hujus, vel illius solummodo, vel etiam ut simul utriusque ratio habeatur. Exempli gratia de *Davide*, de *Salomone*, de *Hierosolymis* ita potest institui sermo, ut simpliciter intelligantur vel urbs ipsa ejusque reges, vel ea, quae in sacrâ Judaicae religionis allegoriâ per urbem regesque illos significantur; vel etiam, ut utramque partem simul respiciat et complectatur scriptoris animus, ita ut quae alteram exprimunt, sensu aperto, proprio, historico accepta, alteram sensu recondito, interiore ac prophetico adumbrent.“ — Cui viri doctissimi sententiae nequaquam accedere possumus, prorsusque negamus, *allegorias mysticas* in Veteris Testamenti scriptis locum habere, sequentibus potissimum nixi rationibus:

I) Omnibus, qui vel loquendo, vel scribendo animi sui sensus exponunt, id consilium, is scopus est, ut ab audientibus, vel legentibus probe intelligantur. At vero qui vult intelligi, nonnisi unum sensum verbis suis tribuat, necesse est; et quidem eum, qui dicendi usui atque consuetudini maxime conveniat. Quod si praeter illum sensum, alium remotiorem atque reconditiorem intendat, lector vel auditor monendus, et aliquo indicio de remotiori illo sensu certior faciendus erit. Quod si intermittatur, fieri non potest, quin remotior ille sensus auditorem lectoremve fugiat. Jam vero Veteris Testamenti auctores nuspiam nos monent, verbis suis alium inesse sensum praeter eum, qui ex dicendi usu orationisque contextu cognoscitur. Quare non videmus, quo jure Veteris Testamenti scriptis mysticus aliquis sensus inferri possit, quem a scriptoribus sacris intentum fuisse non constat.

II) Mysticum si admittamus librorum sacrorum sensum, omnis

eorum interpretatio vaga incertaque redditur. Cum enim sensus ille neque ex dicendi usu, neque ex orationis contextu, neque alio quodam indicio cognosci possit, efficitur, ut interpretatio mystica omni destituta sit fundamento, quo tute interpres possit inniti. Quare et tantus inter mysticos librorum sacrorum interpretes de singulorum locorum sensu dissensus, ut vel eam propter causam omni interpretationi mysticae merito diffidas. Possit quidem quis objicere, et Novi Testamenti scriptores, inque primis epistolae ad Hebraeos auctorem, Veteris Testamenti effatis haud raro mysticum sensum tribuere, idque indubitato esse documento, effatis illis mysticum sensum inesse. Concedendum omnino, Novi Testamenti auctores Veteris Testamenti effatis interdum mysticum sensum tribuere; neque tamen inde sequitur, mysticum illum sensum a Veteris Testamenti scriptoribus re verâ spectatum fuisse. Namque Novi Testamenti auctores eam interpretandi rationem, quae suo tempore inter populares suos vigebat, secuti sunt; quae tamen res nequaquam necessitatem nobis imponit, ut eandem sequamur interpretandi methodum, si ea scriptorum, qui interpretandi sunt, consilio minus consentanea videatur.

§. LXXXV.

Superest, ut de *parabolis*, in poëticis Hebraeorum scriptis obviis, dicamus. *Parabola* proxime ad allegoriam accedit, ita ut et allegoria historica dici possit; quare et *Lowthius* eandem allegoriae accenset. Est autem *parabola* fictae cujusdam rei narratio, ad illustrandam veritatem aliquam adhibita. Parabolico dicendi genere maxime serioris aevi prophetae utuntur; inque his praeprimis *Ezechiel*, qui fere totus in parabolis versatur. Videtur id dicendi genus apud prophetas originem suam potissimum inde traxisse, quod prophetae, quando in conspectu populi verba facerent, dictis suis nonnunquam actiones symbolicas adderent; sicuti legimus 1 Regg. XXII, 11, prophetam *Zedekiam*, filium

Cnaanae, cornibus ferreis instructum coram Judae Israëlisque regibus comparuisse, illisque praedixisse, Aramaeos tanquam cornibus ab ipsis prostratum iri. Jam vero ubi vaticinia sua scriptis mandarent prophetae, vel illas actiones symbolicas, quas re verâ in conspectu populi perpetraverant, vel fictas alias narrabant; unde factum est, ut symbolicum illud vel parabolicum dicendi genus saepius in scriptis propheticis occurrat. Quemadmodum autem Hebraeorum poëtae imagines suas in universum maxime vel a rebus naturalibus, vel ex vitae communis usu mutuantur: ita etiam parabolas, quibus utuntur, ex utroque illo fonte ut plurimum derivare solent. Sic *Ezechiel* cap. XVII regis *Jojachini* per *Nebucadnezarem* in exilium deportationem surculi cedrini, ab aquilâ praegrandi in monte *Libano* decerpti, et in mercatoriam urbem delati parabolâ repraesentat; sic *Jesaias* cap. V populi Hebraici perversitatem vineae bene quidem cultae, sed agricolae spem sterilitate suâ eludentis, imagine pingit; sic *Jeremias* eundem populum, Jovae quondam dilectum, sed postea corruptum atque rejectum, cinguli lintei parabolâ sistit, quod propheta primum lumbis applicaverat, deinde Jovae jussu in petrae fissuram absconderat, quo in loco temporis successu totum computruit. Sed multo frequentius Hebraeorum prophetae populi sui impietatem uxoris adulterae parabolâ repraesentant. Solent enim Hebraei arctam illam conjunctionem atque necessitudinem, quam sibi cum Deo intercedere putabant, matrimonii imagine, in quâ Deus mariti, populus Hebraicus vero uxoris personam sustineret, animo proponere. Quare si populus a Deo vero, tanquam marito suo, deficeret, fictorumque Deorum cultum sequeretur, ea defectio haud aliter, ac si adulterium uxor committeret, habebatur. Quae imago quam plurimis parabolis ansam dedit. Exempla habes *Hoseae* capp. I—III, *Ezechielis* capp. XVI, XXIII, aliisque permultis locis. Ceterum quamvis libenter concedamus, elegantissimas, rebusque, quae repraesentantur, con-

venientissimas in prophetarum scriptis haberi parabolas: tamen haud diffitendum, inveniri etiam tales, quarum imagines neque appositae, neque perspicuae satis videntur; id quod praesertim de quibusdam *Ezechielis* et *Zachariae* parabolis praedicaverim, quae, nisi ab ipsis auctoribus addita esset explicatio, vix a quopiam intelligerentur. Quare haud omni ex parte *Lowthii* sententiae accedere possumus, qui, sive convenientiam, sive venustatem, sive perspicuitatem imaginum, quae ab Hebraeorum poëtis in parabolis suis adhibentur, spectes, vix quidquam desiderari posse contendit [89]).

Hae fere sunt orationis figurae, quibus Hebraeorum poëtae potissimum utuntur. Inveniuntur praeter illas et aliae, ut *metonymia*, *synecdoche*, *apostrophe*, *hyperbole*, etc. quarum exempla in medium proferre supervacaneum videtur, cum jam ex illis, quas hucdum exposuimus, dicendi figuris poëtarum Hebraicorum stylus affatim cognosci possit atque dijudicari.

Cap. II.

De stylo carminum Arabicorum.

§. LXXXVI.

De carminum Arabicorum stylo disputaturi diversorum temporum, quibus apud Arabes poëseos studium floruit, rationem habeamus, necesse est. Namque diversum pro diversis temporibus poëtarum Arabicorum dicendi genus; ita quidem, ut poëtis, *Abbasidarum* sub imperio florentibus, vix conveniat, quod de *Mohammedis* aequalibus merito possis praedicare. In universum omnis Arabum poësis in veterem et recentiorem dividi potest. Veteris nomine eam insignimus, quae ex illo tempore, quo artis hujusce studium apud Arabes primum coli coepit, ad *Abbasida-*

---

89) De sacrâ Hebraeorum poësi, praelect X.

rum imperium usque floruit; recentiorem contra dicimus, quae posterioribus viguit temporibus. Veterem illam Arabum poësin in hunc modum commendat *Reiskius* [90]: „Illa vetusta est grandis, sonora, mascula, sublimis, nervosa, spirituum plena, ignea, hominum quippe liberorum, campestrium, qui dominum non agnoscebant, quorum simplicem ingenii subagrestis et αὐτοφυοῦς ferociam urbana severitas non fregerat, non erudiverat. Auctorum illa suorum aut amores canit et camelos, eoque nomine, si ad ullum aliquod genus referri debet ac potest, ad bucolicum spectat; aut etiam bellicam fortitudinem et arma, et liberalem erga hospites comitatem auctorum celebrat. Omnia libertatem, amabilem simplicitatem, generosum animum, verae gloriae flagrantem ignibus, irarumque pertinacem, spirant, monstrantque clare, primos hos Arabes, si veras leges artis poëticae, epicique carminis et tragoediae novissent, certo certius non futuram fuisse sub sole gentem, quae illos conceptuum sublimitate et eloquii majestate superaret.“ — Ex hisce viri doctissimi verbis, quibus nulli dubitamus accedere, intelligas, antiquiori illi Arabum poësi omnes fere virtutes, quas de Hebraeorum poësi praedicavimus, etsi diversâ aliquantum ratione, convenire. Quod si igitur veterum illorum carminum stylum, de quo hic loci nobis agendum, spectemus, primo amabilem illam, quam dicit *Reiskius*, *simplicitatem* deprehendemus. Conspicitur autem simplicitas illa et in argumenti, quod tractandum sibi sumunt Arabum poëtae, facili dispositione, et in verborum, quibus sensus exprimunt, simplici structurâ. In rerum tractandarum dispositione, etsi diversissimae sint, haud ullum cernitur artificium; sicuti quaeque poëtae animo sese offert, ita, praerupto haud raro transitu, in medium protrahitur. Exempla habes in carminibus illis, quae *Moallakarum* nomine insigniuntur, quorum auctores jam amicae suae memo-

---

90) In oratione de studio linguae Arabicae, p. 261.

riam deflent, mox cameli vel equi sui virtutes praedicant, deinde audaciam suam, fortitudinem atque liberalitatem laudibus efferunt, parum solliciti, ut diversae hae res commodo nexu inter se conjungantur. Quod ad elocutionis adtinet simplicitatem, veteres illi poëtae haud longis verborum ambagibus utuntur, verum presse et, quantum sermonis poëtici ingenium patitur, etiam perspicue loquuntur. Exemplum jucundissimae simplicitatis habes in perelegante illo *Abbasi ben Merdasi* poëmatio in Hamasâ, cujus tres priores versiculos liceat apponere:

ترى الرجل النحيف فتزدريه
وفى اثوابه اسد مزير
ويعجبك الطرير فتبتليه
فيخلف ظنّك الرجل الطرير
فما عظم الرجال لهم بفخر
ولاكن فخرهم كرم وخير ۞

Vides virum gracilem, spernisque eum,
At in vestibus ejus leo impavidus.
Miraris egregiae formae juvenem eumque probas,
Sed fallit opinionem tuam vir egregiae formae.
Non est magnitudo virorum ipsis gloriae,
At gloria eorum generositas et virtus.

Haud raro elocutionis simplicitati sermonis poëtici ingenium officere videtur. Namque ut taceamus frequentissimas imagines, quibus utuntur poëtae, et illud proprium quasi sibi vindicant, ut, spretâ rerum propriâ denominatione, easdem ab aliquâ, quae iis inhaeret, notâ appellent. Haud quidem diffitendum, linguae Arabicae minus peritis eâ re difficiliorem reddi carminum antiquorum intellectum; neque tamen elocutionis simplicitatem tolli merito dixeris; contra, dummodo illum loquendi usum familiarem tibi reddideris, et elegantissimum et satis simplicem esse deprehendes.

§. LXXXVII.

Cum simplicitate dicendi in veteri illâ Arabum poësi ut plurimum et *sublimitas* conjuncta habetur. Homines ardentissimo spiritu et vividissimâ imaginandi facultate praeditos, quales prisci illi Arabes fuere, sublimius ferri, ubi de rebus sibi acceptissimis, fortitudine bellicâ, liberalitate similibusque agunt, non est quod miremur. Omnis autem in dicendo sublimitas vel in affectuum atque cogitationum elatione, vel in elocutionis granditate cernitur. Utriusque generis exempla in medium proferenda sunt. Cogitationum sublimitatem nemo desiderabit in sequenti leonis descriptione, ex *Kaabi ben Zohair* carmine panegyrico in *Mohammedem* depromtâ. Visitaverat poëta *Mohammedem*, ejusque adspectu majori perculsus fuit timore, quam leonis formidolosissimi adspectu. Refert igitur, magis sese prophetam formidasse

من خادر من ليوث مسكنه
ببطن عثّر غيل دونه غيل
يغدو فيلحم ضرغامين عيشهما
لحم من القوم معفور خراذيل
اذا يساور قرنا لا يحلّ له
أن يترك القرن الّا وهو مغلول
منه تظلّ سباع الجوّ ضامرة
ولا تمشّي بواديه الاراجيل
ولا يزال بواديه اخو ثقة
مطرح البزّ والدرسان مأكول ✿

Quam leonem leonum, cujus latibulum
In valle *Atthar*, ubi sylva super sylvam.
Mane exit, ut carne cibet binos catulos, quorum victus
Caro humana, in pulvere voluta, inque frusta conscissa.
Ubi insilit in adversarium, non convenit ei

Adversarium relinquere, nisi is fuerit fractus.
Eum propter manent leones deserti vacuo ventre,
Neque ambulant in valle ejus pedites.
Neque cessat in ejus valle frater confidentiae
Projectis armis vestibusque devorari.

Haud minori cothurno incedit *Schanfara* in describendo lupo, acerbissimâ fame exagitato; quem locum, cum longum esset integrum exhibere, breviter tantum perstringemus, lectorem ad viri clariss. *de Sacy* Chrestomathiam Arabicam remittentes, ubi nobilissimum illud *Schanfarae* carmen, لاميّة العرب appellatum, integrum habetur. Comparat sese poëta illo loco, v. 26—35, lupo, qui acerbissimâ fame exagitatus deserta percurrit, praedae inhians. Frustrato cibi desiderio ululatum tollit, quem alii referunt lupi, fame macieque confecti, resonantque ululatu deserta. Cum ille desinit ululare, desinunt et hi, seque solantur fame, quam ille patitur, sicuti et ipse sese solatur eorum cruciatibus. Ubi denique videt, omni conamine nil se efficere, gradum refert, referuntque et illi, patientiâ saevissimae famis tormenta sustinentes [91]. — E sexcentis, quae nobis in promtu sunt, styli

---

91) Mirum in modum alucinatur *Casirius*, in Biblioth. Arab. Escur. tom. I, p. 134, de *Schanfarâ* ejusque *carmine Lamico* in hunc modum disserens: „Poëma inscriptum *Lamiat Alarab*, i. e. Carmen Arabicum, in quo versus omnes literâ ل terminantur. *Ibi de sermonis Arabici elegantiâ, proprietate ac eruditione disseritur*: quocirca viri literati omnibus Arabicae linguae studiosis poëma hoc legendum proponunt. Illius autem auctor est *Alschancari*, الشنقري (minus recte legit *Herbelotius* cum uno puncto diacritico *Schaphari*) poëta antiquissimus, cujus expedita et suavis vena in proverbium abiit اعلب من الشنقري *Alschancaraeo expeditior et suavior.*" — In hoc loco triplici vice lapsus est *Casirius*: primo, quod *Schanfarae* carmen de sermonis Arabici elegantiâ atque proprietate tractare contendat; deinde, quod carminis auctorem *Schancarium*

sublimioris exemplis, unum adhuc ex *Hamasâ* proferre liceat. In grandisono illo carmine, quo *Taabbata Scharran* avunculi sui laudes praedicat, inter multa praeclara haec quoque leguntur:

فسقينا كاس حتف هذيلا
غبّها خزى وعار وذلّ

---

dicat; denique, quod proverbium illud, *Schanfarâ expeditior*, ad *Schanfarae* venam poëticam referat. Namque quod I) ad carminis adtinet argumentum, ne verbo quidem *sermonis Arabici elegantia* tangitur. Etenim poëta, inimicorum insidias devitans, familiaribus suis vale dicit, loca deserta petiturus, ubi nullum, nisi ferarum, consortium. Praedicat abstinentiam suam, fortitudinem atque patientiam, memorat itinera nocturna atque diurna, quibus et frigoris et aestus tormenta animo inconcusso sustinuerit. In his similibusque cum versetur omne carminis argumentum, haud facile adsequaris, quâ ratione *Casirius* in *sermonis Arabici elegantiam atque proprietatem* delabi potuerit. II) In constituendo poëtae nomine *Casirius* procul dubio vitiosâ codicis sui scripturâ inductus fuit, ut *Schancarium* diceret, quem probatissimi Arabum auctores, *Firuzabadi, Dschauhari, Meidani* aliique *Schanfaram* dicunt. Quare immerito *Herbelotium* taxat, quod is, omisso uno puncto diacritico, *Schaphari* legerit. In eo tamen et *Herbelotius* lapsus est, quod literam ن praetermiserit; in quem errorem etiam *Pocockius* incidit, qui in notis ad *Tograi carmen Lamicum,* p. 5, poëtam nostrum *Schaaphari* adpellat. III) Quod denique laudat *Casirius* proverbium, *Schanfarâ expeditior*, non ad poëtae ingenium, verum ad velocitatem in cursu referendum esse, discas ex *Firuzabadio, Dschauhario* atque *Meidanio*, qui *Schanfaram* velocitate cursûs excelluisse, indeque proverbium enatum esse tradunt, *Velocior Schanfarâ,* اعدى من الشنفرى. Accedit, quod *Casirius* pro اعدى perperam اعذب exhibeat, quod a radice عذب, *dulcis fuit*, non *velociorem*, sed *dulciorem, suaviorem* denotat, de quo tamen *Schanfarae* epitheto auctores laudati nihil memorant. Cf. de Sacy Chrestom. Arab. edit. II tom. II, p. 345 — 349.

تضحك الضبع لقتلى هذيل
وترى الذيب لها يستهل
وعتاق الطير تهفوا بطانا
تتخطاهم فما تستقل

Propinavimus poculum mortis *Hodsailitis*,
Cujus faeces ignominia, dedecus atque opprobrium.
Rident hyaenae ad occisos *Hodsailitas*,
Videsque lupos ad eosdem renidere,
Rapacesque aves caespitare fartis ventribus,
Lapsantes super illos, nec se posse levare.

§. LXXXVIII.

Ad cogitationum sublimitatem accedit et *elocutionis granditas*, quae diversis modis, maxime vero epithetis grandisonis efficitur. Si qua alia lingua, certe Arabica immensâ fere epithetorum speciosissimorum gaudet copiâ, quibus poëtae in describendis rebus haud parce utuntur. Longum esset exempla in medium proferre; evolvatur cameli descriptio apud *Tarafam*, v. 11—39; puellae et equi apud *Amrulkaisum*, v. 29—39, 50—67, similesque loci, e quibus sufficienter adparebit, quanta linguae Arabicae speciosissimorum epithetorum sit copia, quantumque inde orationi poëticae accedat venustatis atque sublimitatis. Huc pertinet etiam frequentissimus epithetorum instar substantivorum usus, unde mira orationis oritur venustas atque gravitas. Sic leo dicitur زائر *rugiens*, hasta عسّال *tremula*, gladius ابيض *micans*, nubes بارق *fulgurans*, etc. Exemplum habes in *Antarae Moallakâ :*

حلّت بارض الزائرين فاصبحت
عسرا علىّ طلابك ابنت مخرم ✿

Deversatur in terrâ rugientium (leonum i. e. hostium) factumque
Difficile mihi te requirere, o filia *Machrami*;

nec non in *Dschafari ben Olba* carmine in *Hamasâ:*

اذا ما ابتدرنا مأزقا فرجت لنا
بأيماننا بيض جلتها الصياقل ✿

Cum rueremus in arctum locum (proelium), spatia laxarunt nobis
In dextris nostris micantes (gladii), quos poliverant politores.

Hinc magna illa atque infinita paene vocabulorum eandem rem significantium copia; adeo quidem, ut leonis nomina quingenta, serpentis ducenta, mellis octoginta, lapidis septuaginta, ensis triginta duo numerentur [92]). Ad elocutionis sublimitatem haud parum conferunt et ellipses, non tantum vocabulorum, verum etiam sententiarum, quae antiquioribus poëtis usitatissimae sunt, eorumque orationem concisam, imo haud raro praeruptam reddunt. Exemplum obviam est in *Harethi Moallakâ:*

كتكاليف قومنا اذ غزا المنذر هل نحن لابن هند رعاء

Sicut impetus in tribum nostram, cum in pugnam exiret *Mondsir*;
num nos filio *Hendi* subditi?

in quo versiculo vocabulum اتكاليفكم, *Num impetus in vos*, omissum, sensusque in hunc modum constituendus est: *Num vos eundem hostium impetum sustinuistis, quem tribus nostra sustinuit*, etc. Similem ellipsin sequens ejusdem carminis versiculus exhibet:

فرددناهم بطعن كما يخرج من خربة المزاد الماء

Repulimus eos ictibus, sicuti profluit ex utris ore aqua;

quo in loco omissa sunt verba فخرج الدم من جراح *et profluxit sanguis ex vulneribus.* Integer igitur versiculi sensus erit: *repulimus hostes ictibus, profluxitque ex eorum vulneribus sanguis, sicuti ex utris ore aqua profluere solet.*

---

92) Vide Pocockii Orationem, cum praelectiones in Tograi poëma auspicaretur, p. 8.

§. LXXXIX.

Praeter simplicitatem atque sublimitatem, quas virtutes antiquiori Arabum poësi proprias diximus, illius gentis poëtae nullo dicendi genere magis quam *figurato* delectantur. In hoc recentiores poëtae antiquioribus nequaquam cedunt; quin imo si copiam imaginum spectes, iis superiores esse videntur. De quo dicendi genere pro instituti nostri ratione fusius nobis agendum. Orationis figuratae iidem fere apud Arabes fontes, qui apud Hebraeos. Solent enim Arabum poëtae imagines suas vel e rerum naturâ in universum, vel e rebus naturalibus Orienti, inque primis Arabiae, peculiaribus, vel ex vitae suae ratione, rebusque gentis suae memorabilibus, vel denique ex historiâ fabulosâ repetere. Quas ex naturâ in universum depromunt imagines, ut plurimum a rebus maxime conspicuis, sideribus, sole, lunâ, luce, tenebris, nubibus, vento, fulgure, montibus, mari, arboribus, floribus ceterisque id genus derivant. Siderum imagine *celsa quaeque atque nobilia* repraesentantur; inde Arabum haud minus quam Romanorum poëtae insignes dignitate vel felicitate viros *sidera tangere* dicunt. Exemplum obviam est in *Elmacini historiâ Saracenicâ*, p. 239, ubi Chalifa *Abdulkarim*, qui, favente sibi fortunâ, *Victorem fati*, غلّاب القدر, sese dixerat, immutatam rerum suarum conditionem in hunc modum deplorat:

فلمّا بلغت النجم عزّا ورفعة
وصارت رقاب القوم اجمع لى رقّا
رمانى الردا سهما فاخمد جمرتى
فها ندانى حفرتى عاطلا ملقا ✿

Cum sidera tangerem gloriâ et celsitudine,
Essentque cervices omnium populorum mihi subjectae:
Jecit me exitium sagittâ, exstinxitque prunam meam,
Et ecce vocat me fossa mea nudum, projectum.

Sicuti siderum imagine celsa quaeque atque nobilia Arabum poëtae repraesentant, ita *sole et lunâ* ad pingendam *pulchritudinem* atque *venustatem* utuntur. Sic princeps ille *Hodsailitarum*, in *Divano*, sive *anthologiâ poëticâ Hodsailitarum*, amicam suam cum sole comparat, cujus radii tenui nube velantur:

بيضآء صافية المدامع هولة
للناظرين كدرّة الغوّاص
كالشمس جلباب الغمائم دونها
فترى حواجبها خلال خصاص ۞

Candida, clara oculis, miraculum
Videntibus, instar margaritae urinatoris;
Instar solis, peplo nubium velati,
Cujus tamen videntur supercilia medias per rimas.

Utraque, et solis et lunae imago, habetur in versiculis notissimi illius libri, qui *mille noctes et una* inscribitur, in cujus nocte CCXIV duo adolescentuli dormientes in hunc modum describuntur:

هلالى سما شمسى ضحا قمرى دجى
غزالى فلا غصنى نقا صنمى حسن ۞

Duo novilunia coeli, duo soles temporis matutini, duae lunae noctis obscurae,
Duae dorcades deserti, duo ramuli Naka, duo simulacra pulchritudinis.

Simili ratione et *aurorae splendore laeta faustaque quaevis*, contra *noctis tenebris tristia*, *infausta*, *horrenda* notantur. Exemplum habes in *historiâ Saracenicâ*, p. 289, ubi *Chalifae Moctadii* ingenium poëticum laudatur, appositis nonnullis versiculis, in quibus et hicce:

وبدلنا من ظلمة الجور بعد ما
دجى ليلها صبحا من العدل مسفرا ۞

Restituit nobis e tenebris injustitiae, postquam ingruisset
Nox ejus, auroram justitiae splendidissimam.

Adde locum ex *Diwano Hodsailitarum:*

تعالوا اعينونى على الليل انّه
على كلّ عين لا تنام طويل ✿

Concurrite, juvate me adversus noctem, sane illa
Omni oculo non sopito (incubat) longissima.

Haud raro noctis imagine densa bellatorum agmina signantur; sicuti in carmine illo *Hamasae*, quod *Hemjaritarum* aliquis in proelium, ab *Abdmenatidis* et *Kalbitis* adversus *Hemjaritas* commissum, composuisse fertur:

كانّهم الاسد فى عرينهم
ونحن كالليل جاش فى قتمه ✿

Ac si illi leones (essent) in lustro suo;
Nos autem instar noctis, quae ingruit cum tenebris suis.

Nube pluviam fundente, nec non immensis *maris aquis liberalitas* atque *beneficentia* pinguntur; quare *Taabbata Scharran* avunculi sui laudes praedicans in *Hamasa* canit:

غيث مزن غامر حيث يجدى
واذا يسطو فليث ابلّ ✿

Pluvia nubis cooperiens, quum dona funderet;
At quum impetum faceret, leo prosternens.

Maris imagine liberalitatem describit *Ebn Doreid* in hunc modum:

هم البحور زاخرا اذيّها
والناس ضحضاح ثغاب وأضا ✿

Illi sunt maria, quorum redundans unda,
Ceteri vero aquula in convallibus ac stagnis.

Interdum *nubibus atris dira belli moles*, *turmaeque proeliantium* notantur; unde nubes illae et sanguinem fundere dicuntur; ut

videre est in *Hasani Ebn Noschba* carmine, quod in *Hamasâ*, nec non in *Schultensii Monument. vetust. Arab.* p. 21, habetur:

فلمّا دنو صلنا ففرّق جمعهم
سحابتنا تندى اسرّتها دما ۞

Quum accessissent, saeviimus, dissipavitque turmam eorum
Nubes nostra, cujus mediae partes sanguine madebant.

Quod omnibus fere linguis commune est, ut *celeritatem* imagine *venti* repraesentent, id apud Arabum quoque poëtas obtinet. Hinc phrasis illa ركب جناحى الريح, *equitavit alas venti*, i. e. velocissime vectus fuit; hinc et vetus poëta, a *Schultensio* in *Excerptis ex Hamasâ*, p. 399, laudatus:

غاية مجد رفعت ومن لها
نحن حويناها وكنّا اهلها
لو يرسل الريح لجئنا قبلها ۞

Meta gloriae erecta est. Ecquis ad eam?
Nos eam assequemur; namque sumus idonei.
Si emittatur ventus, sane praeverteremus eum.

Haud raro *venti rigidi* imagine *animus asper durus*que, contra *vento tepido ingenium mite* atque *benevolum* notatur, sicuti in hisce *Tarafae* verbis, quibus cognatum aliquem, sibi iniquiorem, taxat:

وانت على الادنى شمال عريّة
شآمية تزوى الوجوه بليل
وانت على الاقصى صبا غير قرّة
تذاءب منها مرزغ ومسيل ۞

Tu propinquo es septentrio frigidus,
Syriacus, qui contrahit faciem, humidus;
Tu extraneo ventus vernus, absque frigore,

Leniter spirans, pluviamque excitans, quae in coenum fluxumque terram resolvit.

Huc referendum et proverbium illud, quo Arabes insignem liberalitate virum ornant: يبارى الريح جودا, *concertat cum vento liberalitate.* Quod proverbium proprie de eo dicitur, qui, saeviente hibernis noctibus aquilone, ignem accendit, cujus flammâ, longe lateque conspicuâ, viatores invitantur, ut illuc tendant, ibique ab itineris atque tempestatis molestiis injuriisque sese reficiant. Sistitur igitur in proverbio illo ventus infestissimus viatoribus adversarius, quocum haud leve certamen viro liberali ineundum sit, si ab ejus injuriis miseros viatores tutos salvosque reddere velit. Eadem imago etiam in hisce *Hamasae* habetur versibus:

اضحى ابو القاسم الثاوى ببلقعة
تسفى الرياح عليه من سوافيها
هبّت وقد علمت الّا هبوب به
وقد تكون حسيرا اذ يباريها ✿

Soli patet *Abulkasem*, commorans in terrâ incultâ,
Spargunt venti super illum quidquid converrunt;
Spirant, etsi noverint, se nil efficere contra eum,
Namque languescunt, quotiescunque certamen cum illo ineunt.

Montibus excelsis securitas roburque inconcussum significatur; sic in elegantissimo illo *Samuelis Ebn Adia* carmine, quod in *Hamasâ* habetur:

لنا جبل يحتلّه من نجيره
منيف يردّ الطرف وهو كليل
رسا اصله تحت الثرى وسما به
الى النجم فرع لا ينال طويل ✿

Nobis mons est, quem insidet, cujus clientelam suscipimus,
Elatus, qui retundit aciem oculorum, et quidem hebetatam.

Sidit radix ejus infra terram, tolliturque
Ad astra vertex, qui attingi nequeat, praecelsus.

Haud aliter in *Hodsailitarum Diwano:*

لقد علمت هذيل انّ جارى
على اعلى شواهق من ثبير ۞

Profecto sentit (tribus) *Hodsail*, clientem meum
In summis cacuminibus (montis) *Thebiri* positum.

Contra, *locis depressis*, qui torrentibus obnoxii sunt, *misera humilisque conditio* pingitur; sic in illo *Hamasae* epicedio:

تسعى المنايا حيث شاءت فانّها
محلّلة بعد الفتى ابن عقيل
فتى كان مولاه يحلّ بنجوة
فحلّ الموالى بعده بمسيل ۞

Discurrunt mortes, quo volunt, namque
Libere dimissae sunt, mortuo filio *Okaili*,
Viro, cujus propinquus in loco edito habitabat;
At habitant propinqui post mortem ejus in valle torrentibus obnoxiâ.

§. XC.

Sed longum foret, omnes imagines recensere, quas ex rerum naturâ in universum Arabum poëtae petunt; quare desistendum, et ad illas transeundum, quas a rebus naturalibus, Orienti vel Arabiae maxime peculiaribus, derivare solent. Inter animantia, quae vel in Oriente in universum, vel in Arabiâ praeprimis obviam sunt, in carminibus Arabicis maxime frequentantur *leo*, *pardus*, *hyaena*, *lupus*, *onager*, *equus*, *camelus*, *dorcas*, *simia*, *struthiocamelus*, *aquila*, *accipiter*, *serpens* atque *scorpio*. *Leonis pardique* imaginibus *ferociam bellicamque fortitudinem* designari notissimum est; sic in *Alfendii* carmine in *Hamasâ:*

شددنا شدّة اللّيث عدا والليث غضبان ✿

Incursavimus vehementiâ leonis irruentis, et quidem leonis rabidi;

nec non in *Amrui ben Maadi* poëmatio, quod in eadem *Hamasâ* exhibetur:

قوم اذا لبسوا الحديد تنمّروا حلقا وقدّا ✿

Homines, qui, quum induerint ferrum, pardorum instar saeviunt in thoracibus et loricis.

Leonis, *pardi* similiumque ferarum *dentes ungulas*que Arabum poëtae saepe in alias res, quae periculum vel exitium minitari videntur, transferunt. Morti dentes tribuuntur in hocce *Hamasae* versiculo:

سقاه الردى سيف اذا سلّ اومضت
اليه ثنايا الموت من كلّ مرقب ✿

Propinavit ei exitium gladius, quo stricto reniduerunt
Ad illum dentes mortis ex omni speculâ.

Eundem in modum *fortunae dentes ungues*que adscribuntur in *Haririi* consessu XXI:

وبادر به صرف الزمان فانّه
بمخلبه الاشغى يغول ونابه ✿

Atque sic praevenias vicissitudinem fortunae, quae sane
Et ungue adunco saevit et dente.

Haud raro homines, rei alicui inhiantes vel inhaerentes, *ungues illi infigere* dicuntur; sic in versiculo a *Safeirii* scholiaste citato:

سماحاه ضخمة الدسيعة تتشبّث
بذيل رحلها آل الفقال ✿

Femina liberalis, amplissimisque dotibus instructa,
In cujus pepli laciniam ungues infigit familia *Fakalidarum*.

Cujus loci verba: *in pepli laciniam ungues infigere*, idem significant atque *opibus alicujus fortunisque inniti.* Eandem imaginem habes in appendice ad historiam *Timuri:* ومن رام التسلّق الى ذروة العلوم فليتشبّث باذيال استارها, qui vult conscendere fastigium scientiarum, infigat ungues in lacinias velorum earum (scientiarum).

Ferociam itidem et *rapacitatem hyaena* et *lupus* denotant; imo illa summam quoque *stoliditatem*, unde etiam in proverbium venit احمق من ضبع, *stultior quam hyaena.* Cujus rei rationem *Teblebius* in scholiis ad *Haririi* consessum sextum in hunc modum reddit: ومن حمقها انّها اذا خرجت تلتمس ما تأكل فتجد جراء لغيرها قد خرجت امّهم ايضا كذلك وتركت جرآءها اقامت في ترضع اولاد غيرها وربّما ضاعت جرآءها فأكلها الذيب فالى هذا اشار الشاعر بقوله

كمرضعة اولاد اخرى وضيّعت
بنى بطنها هذا الضلال من القصد ✿

i. e. stoliditatis ejus et hoc, quod, ubi exiverit quaesitura quo vescatur, inveneritque catulos alienos, quorum mater itidem exivit, relictis catulis suis ibi tum commorari soleat, catulosque alienos lactare. Quo facto saepe accidit, ut catuli ejus pereant, a lupo devorati; quo poëta alludit, quum ait:

Sicuti quae lactat pullos alterius, perditque
Filios uteri sui; quod vero aberratio a viâ rectâ.

Praeter hyaenam et *struthiocamelus* Arabum poëtis *stoliditatis* imago, idemque quod de hyaenâ obtinet, et de struthiocamelo in usu est proverbium: احمق من نعامة, *stultior quam struthiocamelus.* Quare et poëta, a *Scheidio* ad *Canticum Hiskiae* laudatus, ait:

وان انتم لا تثأروا واتّديتم
فمشوا باذان النعام المصلم✿

Quodsi vos non ulciscamini caedem, lytrumque accipiatis,
Struthiocamelum praecisis referetis auribus (i. e. stoliditate struthiocamelum aequabitis.)

Quod stoliditatis opprobrium inde in struthiocamelum devolutum, quod ova sua deserere, alienaque fovere dicatur. De quâ re *Damiri* in historiâ animalium haec tradit: وهي تخرج لطلب الطعم فتجد بيض نعامة اخرى فتحضنه وتنسى بيضها ولعلّها ان تصاد فلا ترجع اليه ولهذا توصف بالحمق i. e. ubi prodit ad quaerendum cibum, invenitque alîus struthiocameli ovum, illi incubat, suique obliviscitur. Quodsi forte a venatoribus excitetur, nunquam eo revertitur; quamobrem stulta praedicatur. — Hinc et proverbium enatum اذلّ من بيضة البلد, *vilior ovo terrae*, i. e. ovo struthiocameli in terrâ relicto; hinc et Arabum poëtis *ovum terrae*, sive struthiocameli *hominem omni auxilio destitutum* denotat, ut videre est in hisce *Hamasae* versiculis:

انّي فتى من اودى باخوته
ريب الزمان فامسى بيضة البلد✿

Ego sum vir, cujus perdidit fratres
Injuria fortunae, factusque sum ovum terrae;

i. e. ita omni destitutus sum praesidio, ut ovum struthiocameli in terrâ desertum. Ad quem locum *Tabrizi* notat: قيل في بيضة البلد انّه بيض النعام لانّها سيئة الهداية فتضع بيضها في موضع ثمّ تتركها ضلالا عنها فيضيع i. e. dicunt ovum terrae denotare ova struthiocameli, quippe quae, stolidissime se gerens, ova sua in loco aliquo ponat, eaque deinde deserat inde aberrans, ita ut pereant. — Neque tamen stoliditatis tantum, verum etiam *celeritatis* imago struthiocamelus habetur. Neque id mirum; namque

rapidissimo cursu fertur, cum a venatoribus exagitatur. Quae alitis hujus celeritas et in proverbii consuetudinem abiit; dicunt enim Arabes: اعدى من الظليم, *cursu pollentior quam struthiocamelus;* et ركب جناحى النعامة, *inequitavit alis struthiocameli,* i. e. velocissime vectus fuit. In carminibus Arabicis quam frequentissime imagines, a struthiocameli celeritate petitae, deprehenduntur; sic in *Diwano Hodsailitarum:*

ذمول تزفّ زفيف الظليم
شمّر بالنعف وسط الرئال ✿

Velociter incedens prorumpit impetu struthiocameli,
Cum ad cursum se accingit in loco acclivi medios inter pullos;

nec non in *Hamasâ*, ubi poëta *Chalifam Omarum* laudans, hisce inter cetera utitur verbis:

فمن يسع او يركب جناحى نعامة
ليدرك ما قدّمت بالامس يسبق ✿

Qui currit, quin imo vehitur alis struthiocameli,
Ut adsequatur, quae tu jam praeoccupasti, antevertetur.

Celeritatem et *accipitris* praecipiti volatu pingunt Arabum poëtae; exemplum obviam est in *Diwano Hodsailitarum:*

وبحمله جموم اريحىّ صادق هذب
كما ينقضّ من جوّ السماء الاجدل الدرب ✿

Portat eum equus indefessi cursus, alacer, strenuus, celerrimus,
Sicut in praedam defertur ex aethere accipiter exercitatissimus.

*Contumaciae indomiti*que *animi* imaginem *onagrum* esse, jam superius, ubi de poëtarum Hebraeorum figurato dicendi genere egimus, monitum fuit; verum et in alias res hujus animalis proprietates Arabum poëtae transferre solent. Cum in desertis degat onager, ubi saepissime inedia famesque sustinendae, *onagri ventre* haud raro *summa omnium rerum penuria* designatur; sic in *Amrulkaisi Moallakâ:*

ووادٍ كجوف العير قفر قطعته
به الذئب يعوي كالخليع المعيّل ❀

Vallem instar ventris onagri desertam peragravi,
In quâ lupus ululabat, ut decoctor numerosâ gravatus familiâ.

In describendâ puellarum feminarumque pulchritudine vix ullâ constantius, quam *dorcadis* imagine Arabum poëtae utuntur. Est enim dorcas animal venustissimum, gracili corpore, nigris vividisque oculis; quare haud immerito cum dorcadibus puellae formosae componuntur. Exempla sexcenta in carminibus Arabicis occurrunt; sufficiat tamen unum tantum alterumve in medium proferre. In elegantissimo illo *Tograi* carmine, cui cognomentum لاميّة العاجم, legimus:

ولا اخلّ بغزلانٍ اغازلها
ولو دهتني اسود الغيل بالغيل ❀

Neque deseram dorcades, quibuscum confabuler,
Etiamsi adorti me fuerint leones sylvae insidiis.

Quo in loco *dorcadibus puellas*, *leonibus* vero *homines infestos* notari, nemo est, qui non videat. In eundem modum in *Diwano Tohmani* (طهمان) *Ebn Amru Kelabitae* puella formosa dicitur

ربما اغنّ يصيد حسن دلاله
قلب الحكيم ويطبي الجهّالا ❀

Dorcas stridule loquens, cujus pulchritudo fascinans venatur
Cor sapientis, interimitque ex insidiis insipientes.

Similiter et Motanabbi puellas campestres dorcades deserti adpellat in elegantissimo hoc loco:

افدى ظبآء فلاة ما عرفن بها
مضغ الكلام وصبغ الحواجيب
ولا برزن من الحمّام مايلة

اوراكها صقيلات العراقيب
ومن هوى كلّ من ليست مموّهة
تركت لون مشيبي غير مخضوب ✿

Devoverem me pro dorcadibus deserti, quae non norunt
Manducare sermonem et supercilia tingere,
Quae non prodeunt ex balneo vibrantes
Lumbos suos, nitidae talis;
Amore illarum, quae non fucantur,
Canitiem meam infucatam linquo.

Maxime vero cum procero gracilique dorcadum collo puellarum collum componi solet; sic in Amrulkaisi Moallakâ:

وجيد كجيد الريم ليس بفاحش
اذا هي نصّته ولا بمعطّل ✿

Collum (puellae) sicut collum dorcadis, justum modum non excedens,
Cum illud erigit, nec monilibus destitutum.

Haud aliter in *Antarae Moallakâ:*

وكانّما التفتت بجيد جداية
رشأ من الغزلان حرّ ارثم ✿

Ac si respiceret collo dorcadis,
Pulli dorcadis jam adulti, labiis superne albicantibus.

Nonnunquam *dorcadis* imagine lucidum illud *solis sidus* repraesentatur, ut videre est in versiculo, a *Teblebio* ad *Haririum* citato:

بثينة تزرى بالغزالة فى الضحى
اذا برزت لم يبق يوما بها بها ✿

***Botheina* vincit dorcadem illustri jam die;**
Ubi prodit, non restat, cui splendor sit, dies.

Sicuti dorcas pulchritudinis imago habetur, ita *simia deformitatem* atque *vilitatem* denotat. Exemplum habes in satyricis hisce *Hamasae* versiculis:

اتخطر للاشراف يا قرد حذيم
وهل يستعدّ القرد للخطران
ابى قصر الاذناب ان تخطروا بها
ولوم بنى قرد بكلّ مكان ✿

An jactas caudam ad gloriandum, o simia Hedsjamita,
Num disposita est simia ad jactandam caudam?
Vetat brevitas caudarum, ut eas jactetis,
Dedecusque simiarum in omni loco.

Haud raro etiam a *serpentibus*, *viperis scorpionibus*que imagines suas Arabum poëtae repetunt. *Serpentibus viperis*que *homines dolosi* atque *periculosi* significantur; sic in *Haririi* consessu XVIII فعندى انّه جار مكاسر فبان انّه عقاب كاسر وآنسته على انّه حبّ مؤانس فوضح انّه حباب موالس i. e. putabam, eum esse vicinum mihi conjunctissimum; sed apparuit, eum esse aquilam ossifragam; familiaritatem cum eo contraxi, quod existimarem eum amicum humanissimum; sed deprehensum est, eum esse serpentem fraudulentissimum. — Quo in loco *aquila hominem ferocem* atque *violentum*, *serpens* contra *dolosum* atque *fraudulentum* notat. Hominis periculosi imaginem a viperâ petitam exhibet elegantissimum illud *Abi Adinae* carmen, in *Schultensii* Monument. vetust. Arab. obvium:

لا تقطعن ذنب الافعى وترسلها
ان كنت شهما فاتبع راسها الذنبا ✿

Ne amputes caudam viperae, eamque dimittas,
Si vir acer es; verum fac, ut caudam caput sequatur.

Quibus verbis poëta innuit, hostes periculosos, quos captos tenebat *Alaswadus*, Hirensium rex, non esse dimittendos, sed

exstinguendos. *Scorpionis* denique imagine *calumnia* atque *obtrectatio* notari solent; hinc tritum illud Arabum proverbium دبّت العقارب, *repant scorpiones*, i. e. grassatur calumnia atque obtrectatio; quo proverbio et vetus poëta in *Hamasâ* usus est in hunc modum:

فللموت خير للفتى من قعوده
عديما ومن مولى تدبّ عقاربه

Profecto mors melior viro, quam sedere
Desertum, quamque socius, cujus reptant scorpiones.

Haud praetereundus nobis locus *Ahmedis ebn Arabschah*, in quo omnia fere Orientis animantia nociva sensu figurato inducuntur. Namque in recensendis *Timuri*, Syriam invadentis, copiis grandiloquus ille auctor hisce utitur imaginibus: نمور ترکستان وببور بلخشان وصقور الدشت ونسور الموغول وكواسر الجتا وافاعى خاجند وثعابين اندكان وهوام خوارزم وضوارى حصار شادمان واسود خراسان وضباع الجبل وتماسيح رستمدار واصل قبائل خوز وكرمان وطلس ارباب طيالسة اصبهان وافيال الهند والسند وكباش ولايات اللور وثيران شواهق الغور وعقارب شهرزور i. e. (erant in ejus exercitu) pardi Turcici, tigrides Balachsanienses, accipitres Deschtaei, vultures Mogulenses, aquilae ossifragae Geticae, viperae Chodschendicae, dracones Andechanenses, serpentes Chowaresmii, canes venatici Hasar-Schadmanenses, leones Chorasanenses, hyaenae Gilanenses, crocodili Restemdarienses, aspides tribuum Susianae et Carmaniae, lupi Ispahanenses, elephanti Indici et Sindici, arietes ditionum Lurensium, tauri montium Gaurensium, scorpiones Schahrezuri [93]. — Inter animalia domestica ab Arabibus maximi

93) Ahmedis Arabsiadae vitae et rer. gestar. Timuri historia, ex edit. Mangeri t. 1, c. 64, p. 578.

aestimantur *equus* et *camelus;* quare haud mirum, utrumque etiam a poëtis Arabicis in figurato dicendi genere adhiberi. Tritissimum est Arabum poëtis, virum egregium *admissarii* nomine insignire; sic *Taabbata Scharran* in *Hamasâ:*

فذلك قريع الدهر ما عاش حوّل
اذا سدّ منه منخر جاش منخر ✿

Atque is admissarius seculi, quoad vixerit, versutissimus,
Cujus alterâ nare obstructâ, altera rebullit.

Quo in loco *admissarius seculi virum aetatis suae principem* denotat. In eundem modum et principes eruditorum فحول العلماء, *admissarii eruditorum*, principesque poëtarum فحول الشعراء, *admissarii poëtarum* dicuntur. Sed et aliae imagines ab utroque jumento derivantur; in his haud inelegans ab equorum colore petita. Constat, Arabes equos illos maximi aestimare, qui in fronte pedibusque candidis notis insigniti sunt. Hinc ab Arabum poëtis omne egregium atque illustre *candidis in fronte pedibusque notis insignitum* dicitur. Exemplum habes in *Hamasâ*, ubi *Samuel ebn Adija* canit:

وأيّامنا مشهورة في عدوّنا
لها غرر معلومة وحجول ✿

Dies nostri nobilitati in hoste nostro,
Quippe candidis frontium, candidis pedum notis insigniti.

Quibus verbis poëta innuit, proelia, quae tribules sui cum hostibus commisissent, his haud minus memorabilia fuisse, quam *equum candidis in fronte pedibusque notis insignem.* Imaginem, a *camelâ coecutiente* petitam, exhibet *Zohairi* Moallaka, ubi ejusmodi camelae, obvia quaeque proculcanti, comparatur *fatum*, quod coeco quasi impetu alios tollit, alios praeterit:

رأيت المنايا خبط عشواء من تصب
تمته ومن تخطئ يعمّر فيهرم ✿

Vidi fatum instar camelae coecutientis, terram pede quatientis; quem tangit,
Dat neci, quem vero praeterit, is diu vivit, senioque conficitur.

Huc referendae imagines, quas ab equitando Arabum poëtae derivare solent; tales sunt: *dorsa periculorum*, *hustarum inequitare*, *habenas cupiditati regendas tradere*, et similia.

§. XCI.

Praeter animalia, vel Orienti in universum, vel Arabiae praeprimis peculiaria, aliae quoque res naturales in terris illis obviae, *flumina*, *arbores*, *flores*, *gemmae*, *margaritae*, in oratione figuratâ ab Arabum poëtis adhibentur. Inter fluvios Arabum poëtis maxime celebratur *Euphrates*, inter arbores *palma*; ille *abundantiae* atque *munificentiae*, haec *bonitatis egregiaeque indolis* imago. Imaginem ab *Euphrate* petitam habes in veteris poëtae dicto apud *Dschauharium*:

تجرى خزائنه على من نابه
جرى الفرات على فراض الجدول ۞

Profluunt thesauri ejus super eos, qui eum observant,
Fluxu Euphratis in aperturam rivuli.

Palmâ bonitatem atque *praestantiam* notari, videre est in hocce *Hamasae* versiculo:

ربّيته واُاض كالفحّال شكّبه
ابّاره ونفى عن متنه الكربا ۞

Educavi eum, evasitque instar palmae, quam putat cultor ejus,
Removetque a latere ejus stolones.

Cum *palmae racemis densi* quoque *puellarum crines* comparantur; earundemque *gracilis statura* cum *surculo palmae* aquâ rigatae. Haud raro et cum *myrobalani surculo puellarum gracilitas* componitur; ut videre est apud *Motanabbium*:

خريدة لو رأتها الشمس ما طلعت
ولو رآها قضيب البان لم يمس ✿

Puella, quam si videret sol, non oriretur,
Si surculus myrobalani, non se inflecteret;

et ejusdem poëtae elegantissimo hoc loco:

بدت قمرا ومالت خوط بان (94
وفاحت عنبرا ورنت غزالا ✿

Prodivit sicuti luna, inclinavit se tanquam ramus myrobalani,
Spiravit ceu ambarum, spectavit ut dorcas.

Arbori, cujus superiores partes a vento agitantur, inferiores leviter tantum inclinantur, *vacillans puellarum* componitur *incessus* in versiculis a *Nowairio* citatis:

فقمن بطيا مشيهن تأودا
على قصب ضاق عنه خلاخله
كما هزت المران ريح تحركت
اعاليها وارجحنت اسافله ✿

Surgunt lente, incessus earum inclinatur
Super arundine, quam arctant periscelides;
Sicuti, cum fraxinum concutit ventus, agitantur
Summi rami, inclinantur inferiores stipitis partes.

Rami virentes fortunam secundam, *aridi* contra *infortunium* exprimunt; exemplum exhibet *Jahjae ben Zejad* carmen in *Bohterii Hamasâ:*

كل فتى اخطأته الحتوف
له زمن سوف يختانه

94) Pro vocabulo خوط in quibusdam codicibus غصن legitur: hanc lectionem etiam Jonesius in poëseos Asiat. commentarii, Eichhornii editione p. 23, exhibet.

فيوما يروق الورى غصنه
ويوما ستيبيس اغصانه
أمور تبيد واخرى تفيد
وكلّ ستوحش اوطانه ✿

Omnem hominem, a quo aberrant fata,
Manet tempus, quod inopinantem obruet;
Modo speciosi mortalibus ejus adparent rami,
Modo arescunt frondes ejus;
Res aliae exitio sunt, aliae juvant,
Sed omnium tandem domicilia desolabuntur.

Arboribus spinosis asperum atque *indomitum viri ingenium* notatur, sicuti in hocce *Komaiti* versiculo:

لا سمراتى يبتغيهنّ عاضد
ولا سلماتى فى بجيلة تعصب ✿

Spinas meas non expetet arborum putator,
Neque *Salamae* meae a *Badschilitis* fune constringentur.

Quae in versiculi hujus hemistichio posteriori de arbore *Salamá* habentur, egregie illustrantur *Almeidanii* loco, quo proverbium عصبه عصب السلمة, *constrinxit eum sicuti Salamam*, interpretatur. Ejus autem verba in huncce modum audiunt: وهى شجرة اذا ارادوا قطعها عصبوا اغصانها عصبا شديدا حتّى يصلوا اليها والى اصلها فيقطعوه i. e. est autem (*Salama*) arbor, quam cum succidere volunt, ramos ejus firmiter constringunt, ita ut ad radicem pervenire possint, eumque in modum illam succidunt.

Inter flores maxime *rosa, anemone, narcissus anthemis*que ab Arabum poëtis celebrantur. *Rosâ* et *anemone genae rubicundae, narcisso oculi languidi*, et *anthemide dentes candidi* significantur; exempla obviam sunt in *Haririi* consessu II, ubi puella lacrymas fundens in hunc modum pingitur:

فامطرت لؤلؤا من نرجس فسقت
وردا وعضّت على العنّاب بالبرد ✿

Pluit margaritas ex narcissis, irrigavitque
Rosam, atque momordit zizypha grandine.

Quo in loco *margaritis lacrymae*, *narcissis oculi*, *rosâ genae*, *zizyphis digiti fuco rubicundo tincti*, *grandine* denique *dentes* notantur. In eodem consessu *dentes margaritis recentibus*, *grandini*, *anthemidi*, *palmarum flori vinique bullis* comparantur. Neque tamen lacrymae tantum dentiumque candor margaritis notatur; saepe etiam *oratio*, maxime vero *ligata margaritis* comparatur; hinc *Motanabbi* carmina sua *margaritas* dicit:

انّي نثرت عليك درّا فانتقد
كثر المدلّس فاحذر التدليسا ✿

Equidem sparsi in te margaritas, accipe,
Multae spuriae (circumferuntur): cave, ne decipiaris.

Hinc et in appendice ad *Timuri* historiam legitur: الكلام كالدرّ المنتظم والدرّ المنسجر, *sermocinatio est instar margaritarum in filum consertarum*, *inque seriem connexarum.* Haud raro quaecunque aliquo ordine disposita sunt, margaritarum in seriem connexarum imagine sistuntur; sic in *Timuri* historiâ plus simplici vice *agmina militum disjecta lineae margaritarum solutae* dicuntur. Saepissime etiam a *gemmis*, *smaragdo*, *beryllo*, *pyropo* aliisque lapidibus pretiosis imagines suas petunt Arabum poëtae. *Gemmis* in universum *pretiosa* quaeque atque *insignia* notari neminem fugit; exemplum habes in lepido illo versiculo mariti, uxorem ornatûs studiosam reprehendentis:

وانّي اريد جوهر البيت
وتريدين بيت الجوهر ✿

Ego volo gemmam domus (i. e. domum opulentam),
Tu autem vis domum gemmae (i. e. capsulam, in quâ gemmae reconduntur).

Gemmarum diversae species pro diverso colore diversâque formâ ad diversas quoque res transferuntur: *smaragdis prata virentia*, *pyropis puellarum labia*, *beryllis digiti* significantur. Sufficiat e multis unum tantum alterumve locum in medium protulisse. *Terra*, *gramine virenti vestita*, *smaragdis superbire* dicitur in *Abulolae* carmine, quod in ejusdem auctoris opere poëtico, سقط الزند, *ignis ignitabulo excussus*, inscripto, habetur:

قد أتاك الربيع يفعل ما تأمره فعل عبدك المأمور
وكسى الارض خدمة لك يا مولاه دون الملوك خضر الحرير
وهى تختال فى زبرجدة خضرآء تغدى بلؤلؤ منثور
وغدت كلّ ربوة تشتهى الرقص بثوب من النبات قصير ۞

Venit tibi ver, ut, quod ipsum jubes, faciat, ut servus jussus;
Vestit terram, tibi ut ministret, domine ejus, non aliis item regibus, virore sericeo.
Illa superbit smaragdo viridi, prandetque margaritas sparsas,
Omnisque collis saltare gestit brevi ex herbis veste.

Beryllorum imagine *digitos* notari, videre est in *Haririi* consessu secundo, ubi haec leguntur:

فلاح ليل على صبح اقلّهما
غصن وضرّست البلّور بالدرر ۞

Apparuitque nox super aurorâ, quarum utramque sustinebat
Ramus, masticabatque beryllos margaritis;

i. e. velo nigro pulcherrimam faciem occuluit puella gracilis, momorditque prae moerore digitos dentibus.

§. XCII.

Sed locus tempusque nos deficerent, si, quas a rebus naturalibus Arabum poëtae petunt imagines, omnes recensere velimus;

quare transeundum ad illos tropos, qui ex vitae communis usu derivantur. Cum Arabes maxime gregibus pascendis, agrisque colendis dediti essent, haud mireris, poëtas ab utroque vitae genere plures repetiisse imagines. A *re pecuariâ* imago petita, cum *copiarum duces arietes* dicuntur, ut in illo *Amrui ben Maadi Carib* carmine, quod *Hamasa* exhibet:

نازلت كبشهم ولم ار من نزال الكبش بدّا ✿

Conflixi cum ariete eorum, neque vidi a conflictu arietis effugium.

Ad idem vitae genus respicitur, cum in *Tograi* carmine *somnus gregis pascentis* imagine pingitur in hunc modum:

طردت سرح الكرى عن ورد مقلته
والليل اغرى سوام النوم بالمقل ✿

Propuli gregem somni ab accessu ad oculum ejus,
Cum nox immitteret greges somni in oculos.

Saepissime *pecoris pastus* atque *aquatio* ad belli negotium transfertur; hinc *bellatores proelium ineuntes pastum et aquatum ire* dicuntur; quae figura audacius adhuc de ipsis belli instrumentis, hastis gladiisque usurpatur, ut videre est in *Amrui ben Kelthum Moallakâ:*

نشقّ بها رؤوس القوم شقّا
ونخليها الرقاب فتختلينا ✿

Diffindimus hisce (gladiis) capita virorum,
Iisdemque pabulum largimur colla, quibus pascantur.

In eundem modum *Taabbata Scharran* in *Hamasâ:*

ينهل الصعدة حتّى اذا ما نهلت كان لها منه علّ ✿

Aquatum ducit hastam primâ vice, ut sitiens bibat; quin et secundis haustibus eam rigat.

Ut intelligantur, quae hoc loco de primâ et secundâ hastae aquatione memorantur, tenendum est, camelis, cum ad aquationem

ducuntur, primo nonnisi tantum aquae concedi, quantum restinguendae siti sufficiat; deinde cum aliquantulum requieverint, secundâ vice ad satietatem eos rigari. Quare loci laudati is sensus: ***hastam non leviter tantum, sed abunde hostium cruore rigatam fuisse.*** Haud raro etiam mulgendi negotium ad bellum transfertur; hinc *Moattelus* in *Hodsailitarum Diwano:*

تجرّدت حرب يكون حلابها
علقا يمريها الغوىّ المبطل ۞

Destrictum est bellum, cujus mulsura
Cruor, quem mulget perdite vesanus.

§. XCIII.

Ab *agrorum* quoque *hortorumque culturâ* Arabum poëtae imagines suas, quamvis rarius, repetunt. Imaginem a *semine* petitam habes in *Hamasâ* in hocce *Abdulmaleki* versiculo:

وأبنا بزرع قد نما بصدورنا
من الوجد يسقى بالدموع البوادر ۞

Reversi sumus turgescente in pectoribus semine
Desiderii, quod rigaretur lacrymis properantibus.

Similiter et *plantandi fructusque colligendi* negotium in figuratâ adhibetur oratione, ut videre est in *Haririi* consessu quarto:

وكلّ من يطلب عندى جنى
فما له الّا جنا غرسه ۞

Quicunque requirit apud me fructum,
Non accipiet, nisi eum, quem plantaverit;

i. e. *quemvis pro merito suo tractare soleo.* Hinc et tritum illud proverbium: اجتن ما غرست, *carpe, quod plantasti,* i. e. accipe, quod promeritus es.

§. XCIV.

Frequentissimae etiam a reliquis vitae communis rebus, *aedibus*, *vestitu*, *cibo potuque*, *hospitalitate*, *supellectili*, *igne*, *bello armis*que, imagines derivantur. *Aedium* imagine *gloriam laudes*que pingere solent Arabum poëtae; sic *Lebid* in *Moallakâ:*

فبنى لنا بيتا رفيعا سمكه
فسما اليه كهلنا وغلامنا ✿

Aedificavit nobis (Deus) aedes, quarum praecelsum fastigium,
In quod enituntur viri juvenesque nostri.

Quae a *vestitu* petuntur imagines, ad diversas res transferuntur, maxime tamen ad denotandam *arctiorem* aliquam rerum inter se *conjunctionem* adhibentur. Hinc vita, adfectus, curae, miseria, quaeque praeterea propius ad homines pertinent, eosdem vestire dicuntur. Exempla sexcenta suppetunt, e quibus tamen unum alterumve tantum delibandum. *Vita vestimenti* imagine sistitur in hocce *Hamasae* versiculo:

ولا ثوب البقآء بثوب عزّ
فيطوى عن اخى الخنع اليراع ✿

Vestis vitae prorogatae non est vestis honorifica,
Quâ exuitur frater mollitiae, pusillanimis.

Ad *animi aegritudinem* eadem imago transfertur in *Hodsailitarum Diwano:*

نامَ الخليّ وبتّ الليل لم انم
وهيّج العين قلب مشعر السقم ✿

Dormit curâ vacuus; at ego noctem transigo haud dormiens,
Excitatque oculum cor indutum aegritudine.

In eodem *Diwano gladiorum ictus hostium dorsa amiculo vestire* dicuntur:

اذا ادركوهم يلحفون سراتهم
بضرب كما جدّ الحصير الشواطب ✿

Ubi consequuntur eos, amiciunt dorsa eorum
Ictibus, qualibus storeas iciunt mulieres textrices.

Tritissimae praeterea dicendi formulae لباس البأس, *indumentum adflictionis*, لباس الجوع والفرق, *indumentum famis et consternationis*, لباس الجوع والشدّة, *indumentum famis et miseriae*, etc. Frequentissime etiam a *cibo*, *potu et hospitalitate* Arabum poëtae orationis figuras mutuantur. Sic *Moleichus* in *Hodsailitarum Diwano* sese *sollicitudinem hospitio excipere* et *cibare constantiâ* dicit:

فانّى لاقرى الهمّ حين يضيف
بعزم كوقع السيف ✲

Equidem hospitio excipere (cibare) soleo sollicitudinem, cum hospitatur,
Constantiâ, tanquam ictu gladii.

Eandem imaginem elegantissime ad bellum transfert *Amru ben Kelthum* in *Moallakâ* in hunc modum:

نزلتم منزل الاضياف منّا
فعجّلنا القرا ان تشتمونا
قريناكم فعجّلنا قراكم
قبيل الصبح مرداة طحونا ✲

Devertistis in deversorium hospitale nostrum,
Itaque festinavimus epulas, ne malediceretis nobis.
Hospitio excepimus vos, et festinavimus epulas
Paulo ante auroram, lapidem molarem.

Cujus loci is sensus: ingressi estis pugnam nobiscum, sicuti hospes deversorium ingreditur, stragemque ocissime edidimus inter vos, sicuti hospiti ocissime parantur epulae, ne ignaviae nos accusaretis, ut solent accusari, qui hospiti segnius epulas parant. Simili ratione et *potus* ad *bellum caedem*que transfertur, ut in hocce *Hamasae* versiculo:

حاسيته الموت حتّى اشتفّ آخره ✿

Sorbendam ei dedi mortem, usque dum exhausisset extremum ejus.

A *potu* et *potando* proverbium illud originem traxit: *potandum alicui dare poculum, quod ipse potaveris*, i. e. eodem modo alium tractare, quo ipsi tractati fuimus; quae proverbialis locutio habetur in *Abi Adinde* carmine, jam superius laudato:

وانصف الناس فى كلّ المواطن من

سقى المعادين بالكأس الذى شربا ✿

Aequissimus hominum omnibus in locis,

Qui potionat hostes poculo, quod ipse potavit.

Haud raro etiam a *supellectili*, quâ Arabes potissimum uti solent, orationis poëticae imagines derivantur. *Vulnera sanguinem mittentia* cum *utris orificio*, cum eodem, nec non cum *hydriâ diffissâ* et *nubes pluviam fundentes* comparantur. Nubibus aquâ gravidis hydrias utresque tribui, apparet ex elegantissimo *Abi Tsachri* loco in *Hodsailitarum Diwano:*

تقود نعاماه حناتم اترعت

من الماء يتلوهنّ اسحم ساكب

يشقّ الدماث البيض من كلّ باطن

ومنه سفور بالنواحى لواحب ✿

Adducit ei (nubi) euronotus hydrias repletas

Aquâ, quas sequitur uter imbrem fundens;

Is sulcat loca arenosa albicantia in omni convalle,

Restantque literae in tractibus impressae.

Quo in loco vestigia imbris, arenam sulcantis, bellissime cum literarum ductibus componuntur. Ab *hydriis* sive *situlis* multae aliae praeterea imagines derivantur; sic in *Haririi* consessibus XV et XLIX occurrit dicendi formula: *situlam in aquam immittere*, quae idem sonat ac liberalitatem alicujus experiri; apud

eundem *Haririum*, consessu XVII, habetur: *situlam inter situlas ejicere*, i. e. ingenii certamen inire; notissima denique phrasis *situlas agere*, i. e. lente incedere. Cum *funiculo*, quo situlae ad hauriendas aquas in puteum demittuntur, comparantur *hastae sanguinem fundentes*, quia et longitudine funiculum illum referunt, et sanguinem e vulneribus eodem fere modo hauriunt, quo aqua e puteo funiculo hauritur. Exemplum habes in hocce *Diwani Hodsailitarum* versiculo:

فترى الرماح كانّما في بيننا
اشطان بئر يوغلون ونوغل۞

Cerneres hastas, ac si illae inter nos
Funes putei, quibus invicem confodiebamur.

Ollae sive *aheni ferventis* imagine *bellum* notatur; sic in *Hodsailitarum Diwano:*

والحرب عرست بالحرب والتهبت
وجاش مرجلهم من بعد ايقاد۞

Bellum incubuit bello, inflammatumque est;
Efferbuitque ahenum eorum, postquam incensum fuit.

Saepissime etiam *bellum* cum *molâ*, *strenuique bellatores* cum *lapide molari* componuntur; sicuti enim tritici hordeique grana lapide molari conteruntur, ita homines belli mole conteri solent. Exemplum obviam est in *Amrui Moallakâ:*

متى ننقل الى قوم رحانا
يكونوا في اللقاء لها طحينا
يكون ثفالها شرقيّ نجد
ولهوتها قضاعة اجمعينا۞

Quando admovemus hominibus molam nostram,
Fiunt, quicunque ei occurrunt, farina;
Stratum ejus ad orientem *Nedschdi* (expansum),
Omniaque ejus grana pulvis subtilissimus.

Quo in loco quum *molae* imagine *bellum* significetur, *farinâ hostes caesos*, *molae*que *strato* sive *panno molari arenam belli notari nemo non videt.*

§. XCV.

A *re bellicâ* denique *armis*que Arabum poëtas orationis figuras frequentissime mutuari nemo mirabitur, qui gentis illius propensum in bella animum respexerit. A *gladio turmis*que *hostilibus* petitam imaginem habes in *Haririi* consessu XXV: فجرّد في الدهر سيوف الغدر وشنّ غارات الرزايا الغبر ولم يزل يستحتني ويبرى i. e. destrinxit in me fortuna gladios perfidiae, immisitque turmas praedatorias calamitatum gravissimarum, neque desiit eradicare me atque exscindere." — Cum *sagittis puellae oculi lacrymas fundentes* componuntur in *Amrilkaisi Moallakâ:*

وما ذرفت عيناك الاّ لتضربي
بسهميك في اعشار قلب مقتّل ۞

Non effundunt lacrymas oculi tui, nisi ut ferias
Binis sagittis tuis omnes partes cordis enecati.

Clypeus tribuitur fortunae, cujus dorsum illis obvertit, quibus adversatur, in *Haririi* consessu XXIII:

كم مزدهٍ بغرورها حتّى بدا متمرّدا
قلبت له ظهر المجنّ واولغت فيه المدى ۞

Quot superbientibus pellaciâ ejus (fortunae), ita ut in Deum rebellarent,
Obvertit dorsum clypei, cultrosque adegit.

§. XCVI.

In hunc fere modum vitae communis res ab Arabum poëtis in oratione figuratâ adhiberi solent; superest, ut de reliquis imaginum poëticarum fontibus breviter dicamus. Praeter rerum naturam vitaeque communis usum, ad quos velut inexhaustos

orationis figuratae fontes tantum non semper recurrunt Arabum poëtae, nonnunquam, quamvis rarius, etiam ex *historiâ*, sive *verâ*, sive *fabulosâ*, imagines suas mutuantur. Ex *antiquâ populi Hebraici historiâ* petitam imaginem exhibet *Haririi* consessus V, ubi haec leguntur: مرامى الغربة لفظتنى الى هذه التربة وانا . ذو مجاعة وبوسى وجراب كفؤاد ام موسى i. e. jactationes peregrinationis ejecerunt me in hancce terram, laborantem inediâ, miseriâ marsupioque cor genitricis *Mosis* referente. — Quae hoc loco occurrit imago, a corde genitricis *Mosis* petita, respicit proverbium inter Arabes tritum: افرغ من قلب ام موسى i. e. *magis vacuus quam cor matris Mosis;* cui proverbio Alcorani locus, Sur. XXVIII, 9, ansam dedisse videtur: واصبح فؤاد ام موسى فارغا, *et factum est cor matris Mosis vacuum.* Quod igitur *Haririo* dicitur *marsupium*, *cor genitricis Mosis referens*, non erit nisi marsupium *vacuum numis* atque *exhaustum.* Ex ejusdem populi Hebraici historiâ et *Motanabbi* in carmine panegyrico in *Cafurum* hancce repetit imaginem:

كانّ كلّ سؤال فى مسامعه

قميص يوسف فى اجفان يعقوب *

Ac si omnis petitio in auribus ejus

Tunica *Josephi* in oculis *Jacobi.*

Quâ imagine poëta innuere videtur, *petitiones indigentium Cafuro gratas ingratasve fuisse*, sicuti *Josephi* amissi tunica patri *Jacobo*, ut filii dilecti monimentum, grata fuerit, verum et ingrata simul, quippe quae filii interitum testaretur [95]). Ex antiquâ *Arabum historiâ*, sive *traditione*, depromtam imaginem habes in hocce *Zohairi* versiculo:

---

95) Josephi historiam Alcorani Sura XII exhibet; unde Motanabbi imaginem, a Josephi tunicâ petitam, hausisse videtur.

فتنتج لكم غلمان اشأم كلّهم
كأحمر عاد ثمّ ترضع فتفطم ۞

Peperit vobis (bellum) adolescentes infelicissimos omnes,
Instar *Rufi Aditarum*, quos lactavit (mater) mox ablactandos.

Ad illustrandam imaginem hancce liceat *Rosenmülleri* in hunc locum observationem apponere: „ad *Themudaeos*, antiquam Arabum tribum, qui initio *Adensium*, ob impietatem in Deum dirâ clade exstinctorum, regionem tenuerunt, missus erat propheta, *Saleh* nomine, qui a plurium ad unius Dei cultum invitaret. Cui pauci admodum paruerunt, ceteris signum petentibus, quo impleto se etiam credituros polliciti sunt. Signum hoc fuit, ut e rupe quadam camelam ipsis educeret. Impetravit hoc *Saleh* a Deo: prodiit e rupe camela immanis magnitudinis, quae statim pullum jam ablactatum, haud minoris matre magnitudinis, enixa est. Camela autem illa interdiu exibat ad pascua, ubi, cum ad puteum aut rivum venit, omnem ebibebat; adventante vero nocte redibat, et circumiens domos civitatis clamabat: *si quis eget lacte, egrediatur.* Hoc modo civibus suppeditabat lac, quantum volebant. Sed quia hujus camelae deformitas atque vastitas ceteros armentorum greges a pascuo deterreret, mulier quaedam, cui *Oneizae* nomen, valde opulenta, quatuor filias splendide exornavit, easque exhibuit homini cuidam, nomine *Kedar*, *Salefi* filio, ut acciperet ex iis unam, quam ipse vellet, cum pacto, ut camelam illam occideret. Assensus est ille, et electâ unâ e puellis egressus est cum octo sociis, quorum ope camelam, succisis suffraginibus, occidit; quo facto provocatus Deus *Themudaeos* omnes, exceptis paucis illis, qui prophetae invitationi paruerunt, post triduum, horrido fragore coelitus demisso, perdidit; ut igitur unius hominis impietas toti genti ruinam adduceret [96]).“

---

96) Conferatur etiam Maraccius in prodromo ad refutationem Alcorani, P. IV, p. 92, 93; idem in notis ad Sur. VII, v. 73, p. 383.

Hunc *Kedarum*, qui et *Rufus*, i. e. atrox, *Themudaeorum* dicitur, *Zohairus* in laudato versiculo *Rufum Aditarum* dicit, eâque imagine innuit, *bellum Dobjanitis tantam cladem attulisse, quantam Kedarus ille Themudaeis attulerit.*

§. XCVII.

Ubi ad historiam fabulosam, sive mythologiam Arabum poëtae in oratione figuratâ recurrunt, haud raro a *daemonibus* ingentique illâ atque *fabulosâ ave*, cui *Anka*, عنقا, nomen, imagines suas repetunt. Imagine a daemonibus petitâ utitur *Weddachus ebn Ismael* in *Hamasâ*, in hunc modum:

فانّك لو رأيت الخيل تعدو
عوابس يتّخذن النقع نيلا
رأيت على متون الخيل جنّا
تفيد مغانما وتفيت نيلا ✿

At tu si vidisti equos, qui currant
Infesti, quibus pulvis elatus syrma sit:
Vidisti (simul) super dorsis equorum daemones,
Qui faciant praedas, disperdantque donis.

Quo in loco *daemonum* imagine *strenui bellatores* pinguntur. Eâdem imagine utitur et *Motanabbi* ad describendam cursûs celeritatem in carmine panegyrico in *Hosainum ben Ishak Attanuchitam:*

سل البيد اين الجنّ منّا بجوزها
وعن ذى المهارى اين منها النقانق ✿

Interrôga deserta, quantum absint genii a nobis in medio illorum,
Et de camelis Maharicis, quantum absint ab illis struthiocameli;

i. e. *cameli nostri celeritate tantum pollent, ut et genios et struthiocamelos cursu praevertant.* Si *ignotum* quid, aut *longe*

remotum Arabum poëtae notare velint, ab *Ankâ* vel *grypho* imaginem petere solent; sic *Motanabbi:*

احنّ الى اهلى واهوى لقاءهم
واين من المشتاق عنقآء مغرب ☆

Clamo ad populum meum et desidero occursum ejus,
At ubi est desideranti *Anka* remota?

Haud raro etiam *paradisi coelestis fluviorum*que ejus in oratione figuratâ mentio injicitur. Cum *paradiso* maxime *loca amoena*, et cum *fluviis coelestibus abundantia* atque *munificentia* comparari solent. Sic in *Haririi* consessu VI *Sarudsch*, Mesopotamiae oppidum, dicitur: الربع كالفردوس مطيبة ومنزهة وقيمة, *sedes instar paradisi amoenitate, jucunditate et pretio.* — *Munificentiam* fluvii paradisiaci, cui *Kauthar* nomen, imagine pingit *Ebn Onein* in hocce versiculo;

وبكلّ ارض جهة من عدله
الصافى اسال نداه فيها كوثرا ☆

In omni terrâ floret ejus justitia
Sincera, effunditque liquorem suum in eâ instar *Kautharis* [97]).

---

97) Ad illustrandum locum hunc egregie faciunt, quae in *Sonnâ* de fluvio sive fonte *Kauthar* traduntur: عين الكوثر طولها وعرضها سبعين الف يوم ومياهها عذبة وكأسات فيها للشرب كم فى نجوم فى السمآء والصبية والغلمان الذين يخدمونهم فى الفردوس عند مأكلهم وشرابهم والجوارى الحسنات حسنهنّ غاية ما يكون لو ظهرت واحدة منهنّ فى السمآء او الهوآء ليلا لتنير العالم كلّه كانّها شعاع الشمس ولو بزقت فى البحر لتحوّل ملحه عسلا وملاحة مياهه حلوا عذبا, i. e. fontis *Alkauthar* longitudo atque latitudo septuaginta millia dierum patet, ejusque aquae dulces sunt. Habentur autem illic tot cyathi ad bibendum, quot stellae in coelo.

§. XCVIII.

His potissimum e fontibus figurata poëtarum Arabicorum profluit oratio; superest, ut ipsas dicendi figuras, quarum in carminibus Arabicis frequentissimus usus, consideremus. Inter diversas dicendi figuras Arabum poëtis maxime familiares sunt *metaphora*, *comparatio*, *prosopopoeia* et *allegoria*. Metaphorae jam tot tantaque in medium prolata sunt exempla, ut inde, quae figurae hujus in Arabum poësi sit ratio, sufficienter appareat; quare de comparatione, prosopopoeiâ atque allegoriâ adhuc videndum. Sicuti Arabum poëtae dicendi figuris in universum mirum in modum delectantur, ita praesertim *comparatione* frequentissime utuntur. Neque tamen prolixas amant comparationes; ut plurimum, quae similitudinis gratiâ in medium proferuntur res, vel nude, vel uno tantum alterove adjuncto illustratae, exhibentur. Exempla suppeditat *Amrulkaisi Moallaka* in elegantissimâ equi descriptione, ubi inter cetera haec leguntur:

مكرّ مفرّ مقبل مدبر معا
كجلمود صخر حطّه السيل من عل
كميت يزلّ اللبد عن حال متنه
كما زلّت الصفوآء بالمتنزّل
على الذبل جيّاش كانّ اهتزامه
اذا جاش فيه حميه غلى مرجل
درير كخذروف الوليد امرّه

Adsunt etiam puellae et adolescentuli ministrantes in paradiso inter edendum et bibendum, nec non virgines pulcherrimae, quarum pulchritudo summum tenet gradum. Quodsi una illarum in coelo vel aëre noctu adpareret, mundum universum illuminaret, instar radiorum solis; et si spueret in mare, sal ejus in mel, aquarumque amaritudinem in dulcedinem suavissimam mutaret.

تتابع كفّيه بخيط موصّل
له ايطلا ظبى وساقا نعامة
وارخاء سرحان وتقريب تنفل

Equus idoneus ad impetum fugamque, simul antrorsum et retrorsum se convertens,
Ut saxum scopuli, quod dejicit torrens ex alto.
Spadix, cujus a dorso defluit stratum,
Sicuti demittit petra laevis, quod cadit in eam.
Gracili vehor equo, aestuante, cujus hinnitus,
Effervescente ejus ardore, instar bullientis aheni.
Agilis est, ut orbiculus pueri, quem is acriter torquet,
Quem indesinenter versant manus ejus funiculo bene contorto.
Sunt ei hypochondria dorcadis, crura struthiocameli,
Cursus lupi et incessus vulpis.

Ex hoc loco intelligas, Arabum poëtas, maxime in rei alicujus descriptione, similitudines cumulare, neque tamen uberius easdem explicare; ita quidem, ut omnis similitudo in uno eodemque hemistichio absolvatur. Neque tamen desunt loci, in quibus prolixius exponantur similitudines; ut videre est in *Antarae Moallakâ*, ubi *puellae formosae halitus* cum *prati virentis odore* comparatur, quam similitudinem poëta uberius explicat in huncce modum:

او روضة انفا تضمّن نبتها
غيث قليل الدمن ليس بمعلم
جادت عليه كلّ بكر حرّة
فتركن كلّ قرارة كالدرهم
سحّا وتسكابا فكلّ عشيّة
تجرى عليها الماء لم يتصرّم
وخلا الذباب بها فليس ببارح

غردا كفعل الشارب المترنّم
هزجا يحكّ ذراعه بذراعه
قدح المكبّ على الزناد الاجذم ✿

(Halitus ejus) sicuti pratum intactum, luxurians herbis,
Pluviâ rigatum, sed expers fimi atque vestigiorum;
In quod effunditur omnis nubes matutina, pluviâ abundans,
Ita ut omnes foveas numis argenteis similes reddat.
Fundit ea pluviam tantâ copiâ, ut omni vespera
Fluant super illud (pratum) aquae, non intermissae.
Illuc secedunt muscae, nunquam inde depellendae,
Susurrantes instar potoris cantillantis;
Stridentes, ubi fricant brachium brachio,
Veluti qui, manu truncatus, ignem ex igniario exterebrare studet.

Quae hic injicitur muscarum mentio a nostro quidem sensu abhorret, neque tamen a naturâ aliena videtur. Namque notissimum est, muscas uvidis maxime locis immorari; quare a poëtâ eo consilio inducuntur, ut magis inde elucescat, pratum illud, cujus odori puellae halitus comparatur, copiosissimâ aquâ rigatum esse. In universum tenendum est, poëtarum Arabicorum comparationes haud raro eapropter humiles, imo indecentes nobis videri, quod naturae vel iis in rebus arctius inhaereant, a quibus sensus pulchri abhorret. Exemplo sit comparatio ex *Hodsailitarum Diwano* depromta:

اناس برتنا الحرب حتّى كانّنا
جذال حكاك لوّحتها الرواجن ✿

Homines sumus, quos attrivit bellum, ac si essemus
Stipites frictionis, quos denigrant cameli scabiosi.

Huic comparationi nonnihil veri inesse nemo negabit. Etenim bellator sudore, sanguine et pulvere perfusus haud inepte cum stipite, sudore et sanguine camelorum scabiosorum obducto, com

paratur. Verum cum ea similitudo ab omni pulchri sensu abhorreat, fieri non potest, quin humilis, imo sordida nobis videatur. Neque desunt in carminibus Arabicis ejusmodi quoque similitudines, quae non tantum a pulchri sensu, verum etiam a rei comparandae naturâ abhorreant. Cujus generis similitudines rarius in antiquiorum poëtarum carminibus, frequentius apud recentiores inveniuntur, qui, maxime cum docti videri velint, nonnunquam ineptissimis utuntur similitudinibus. Exemplum habes in hocce *Omari ben Faredh* versiculo:

نصبا اكسبنى الشوق كما
تكسب الافعال نصبا لام كى ٭

Aegritudinem mihi acquisivit desiderium, sicuti
Acquirit verbis Nasbam Lam Kai.

Ad intelligendum versiculum huncce notandum, Arabum grammaticis *Lam Kai* dici praefixum ل, quando particulae كى, *ut*, significationem adsciscit, eamque propter causam Dhammam Futuri in Fatham, sive Nasbam immutat. Est igitur illius versiculi sensus: *desiderium eâdem necessitatis lege poëtae aegritudinem contraxisse, quâ Lam, Futuro praefixum, vocalem Dhammam in Fatham convertit.* Ineptiorem adhuc comparationem exhibet poëmation libri *Mille noctes et una*, ubi (nocte CCI) in describendo proelio *ordines hostium* cum *scripturae lineâ*, *ictus gladiorum* cum *vocalium signis*, *jactus telorum* cum *punctis*, *hastae*que cum *literis* comparantur in hunc modum:

ويخطّ خطّا فى السطور اذا سطا
يوم الهياج على الفوارس ينفر
الشكل ضرب بالسيوف ونقطها
رشق السهام وخطّها بالسمهرى ٭

Lineam ducit (rex) in ordinibus, cum irruit
Die proelii super equites, quos fugat;

Vocales sunt ictus gladiorum, punctaque ejus (lineae)
Jactus telorum, literaeque ejus per hastas (fiunt).

Verum haec et similia ad ea potissimum pertinent tempora, quibus, corrupto jam inter Arabes sensu poëtico, et poëtae et lectores auditoresve nugis magis atque ineptiis, quam grandiori illo priscae aetatis cothurno delectarentur.

§. XCIX.

Inter dicendi figuras, quibus frequentissime Arabum poëtae utuntur, et *prosopopoeia* referenda. Cum Arabes, si qua alia gens, vividissimâ imaginandi facultate praediti sint, non potuit fieri, quin eorum poëtae etiam iis rebus, quae vitâ et sentiendi agendique facultate destitutae sunt, vitam, sensum atque actionem trihuerent. Quare in carminibus Arabicis *nubes plorantes*, *flores ridentes*, *hastae sanguinem bibentes*, *gladii capita occisorum pascentes* etc. inducuntur. Sufficiat e sexcentis exemplis unum tantum alterumve in medium protulisse. *Nubes lacrymas fundentes*, *flores*que *ridentes* habes in elegantissimâ veris descriptione, quam *Sojuti* in *Prato florido*, المرج النضر, exhibet:

يبكى بدمع دائم الهملان
حتّى اذا افترّت مباسم زهرها ✿

Plorat (nubes) lacrymis continuae profusionis,
Donec subrideant ora florum ejus (terrae).

Gladii occisorum capita collaque pascentes sistuntur a *Motanabbio* in carmine panegyrico in *Hosainum ben Ishak Attanuchitam*:

غذا الهندوانيّات بالهام والطلى
فهنّ مداريها وهنّ المخانق ✿

Nutrit (*Hosainus*) gladios Indicos capitibus et collis,
Iique sunt illorum pectines, horum verum torques.

In hocce versiculo duplici imagine gladii pinguntur; alterâ *ferarum carnivorarum*, alterâ *pectinum torquium*que. *Pectines* dicun-

tur gladii, quia *pectinum instar capita radunt*, et *torques*, quia, cum colla resecent, *torquium instar ea ambire* videntur. Nostro quidem sensu posterior imago a poëta praetermittenda erat; est enim priori multo languidior, illiusque pondus non tantum non auget, verum haud leviter imminuit. Elegantissimâ prosopopoeiâ *stellae viatorem nocturnum comitari*, *eidemque fausta quaeque precari* dicuntur in *Abulolae* carmine in avunculum suum *Ali ben Mohammed:*

اذا سارتك شهب الليل قالت
اعان الله ابعدنا مرادا ✿

Cum te comitantur stellae noctis, dicunt:
Adjuvet Deus virum longinquiora quam nos petentem.

In eodem carmine *venti cum poëtae avunculo cursu certantes* inducuntur in hunc modum:

وان جارتك هوج الريح كانت
اكلّ ركائبا واقلّ زادا ✿

Si cursu tecum certent venti vehementissimi,
Deficiant jumenta eorum, deficiat viaticum.

Neque tamen corporeis tantum atque visibilibus rebus, verum etiam iis, quae non sub sensus cadunt, ut virtutibus, vitiis aliisque abstractis notionibus, vitam et sentiendi agendique facultatem Arabum poëtae tribuere solent. Hinc in poëmatio jam superius citato libri *Mille noctes et una*, *tempus jurasse* dicitur, haud deteriorem rege illic laudato heroa sese procreaturum, verum jusjurandum illud in cassum abiisse:

حلف الزمان لياتينّ بمثله
حنثت يمينك يا زمان فكفّر ✿.

Juraverat tempus, se procreaturum similem huic (regi);
Falsum fuit jusjurandum tuum, o tempus, expia illud.

Audacissimâ prosopopoeiâ *Taabbata Scharran* in *Hamasâ mortem*

pudore adfectam dicit, cum ipse, hostium insidias evitans, rupe praeruptâ se demisisset:

فتخالط سهل الارض لم يكدح الصفا
به كدحة والموت خزيان ينظر ✿

Applicavit se (pectus meum velut) molli terrae, neque dilaniavit rupes
Illud; et mors pudore adfecta spectabat.

Eâdem audaciâ et *Odschairus Asselulius* in *Hamasâ famem liberalitate jugulatam fuisse* dicit:

تركنا فتى قد ايقن الجوع انه
اذا ما ثوى في ارحل القوم قاتله ✿

Reliquimus virum, quem experta est fames,
Cum deverteret in hominum domicilia, sui interfectorem.

In eâdem *Hamasâ* mortuo *Ma'no*, viro liberalissimo, ipsa liberalitas mortua sistitur:

ولمّا مضى معن مضى الجود فانقضى
واصبح عرنين المكارم اجدعا ✿

Mortuo *Ma'no* mortua est liberalitas atque defuncta,
Et eminens munificentia praecisa est.

§. C.

Ad prosopopoeiam pertinet etiam tritissima illa Arabum poëtis dicendi figura, quâ rei alicujus ad alteram relatio ita exprimitur, ut illa hujus *pater*, *mater*, *filius*, *filia*, *frater soror*que dicatur. Hinc virum praestantem *praestantiae patrem*, ابو الفضل, virum in hospites pupillosque liberalem *hospitum pupillorumque patrem*, ابو الاضياف والايتام, pluviam, omnia recreantem, *vitae patrem*, ابو الحياة, gallum gallinaceum, animal vigilantissimum, *patrem vigiliae*, ابو اليقظان, vulpem, latibula sua callide munientem, *patrem munimenti*, ابو الحصين, dicere solent. Eodem modo et *matris* nomen adhibetur; sic mundus, *mater foetoris*, ام دفر, appellatur,

quod bona ejus vilia foetidaque sint; paupertas *vestimenti sordidi mater*, ام درين, quia pauperes sordidis ut plurimum utuntur vestimentis; hyaena, quae sepulcra visitare et cadavera eruere solet, *mater sepulcrorum*, ام القبور; mors occisorum cadaveribus epulas vulturibus parans, *mater vulturum*, ام قشعم. Idem et vocabulorum ابن *filius*, بنت *filia*, اخ *frater*, اخت *soror*, usus; sic *filius belli*, ابن الحرب, idem ac vir bellicosus; *filius viae*, ابن السبيل, viator; *filius nubium*, ابن سحاب, pluvia; *filius solis*, ابن ذكاء, aurora; *filia montis*, بنت الجبل, echo; *filia vitis*, بنت الكرم, vinum; *filiae pectoris*, بنات الصدر, curae; *filiae oculi*, بنات العين, lacrymae; *frater firmi propositi*, اخو الحزم, vir propositi tenax; *frater gurgitum*, اخو غمرات, vir periculorum gurgitibus, vel periculis adsuetus, etc., quae dicendi figurae latissime, non tantum in oratione poëticâ, verum per universum Arabum sermonem regnant.

§. CI.

Etsi Arabum poëtae imagines, quibus utuntur, raro continuare, uberiusque explicare soleant, tamen eorum carminibus haud desunt et *allegoriae*, quas imagines sive metaphoras continuatas esse superius monuimus. Quod ad indolem allegoriarum illarum adtinet, haud diffitendum, eas nonnunquam justo longius repetitas, neque pro nostro sensu aestimandas esse. Cujus rei causa in eo quaerenda, quod vividissima poëtarum Arabicorum imaginandi vis et in illis rebus affinitatem atque similitudinem inveniat, quae nobis diversissimae atque dissimillimae videntur. Ea res Arabum allegorias difficiles intellectu redderet, nisi figuratae orationi saepissime et propriae enuntiationes intermixtae essent. Exemplum allegoriae haud invenustae, licet aliquantulum a sensu nostro recedentis, habes in *Motanabbii* carmine in lau-

dem *Alii filii Ibrahimi Tanuchitae*, in quo carmine *lacûs Tiberiadis* descriptio occurrit, ubi inter cetera haec leguntur:

ناعمة الجسم لا عظام لها لها بنات وما لها رحم

يبقر عنهن بطنها ابدا وما تشكى وما تسيل دم

Tener corpore (lacus) ossibus destitutus, filias habet, neque tamen uterum;

Finditur earum causâ venter ejus jugiter, neque tamen queritur, neque sanguis manat.

In hac allegoriâ *lacus Tiberiadis* imagine *matris* sistitur, cujus *filiae* sunt *pisces*, quorum causâ matris ventrem, i. e. profunda lacûs, quotidie piscatores perscrutantur, non dolente matre filiarum jacturam, i. e. piscium capturam. Frequentissimas atque audacissimas allegorias exhibet *Ahmedis ebn Arabschah* historia *Timuri*, quem librum, etsi solutâ conscriptus sit oratione, nulli tamen dubitamus nobilissimum cum *Jonesio* poëma dicere. Profecto unicus hic liber tot tantisque abundat imaginibus dicendique figuris, ut, hanc partem si spectes, omnium reliquorum poëmatum Arabicorum vicem supplere possit. Quare ex illo libro unam alteramve allegoriam depromere liceat, quo hujus figurae forma, qualem videlicet apud Arabum poëtas induit, conspiciatur. Commisso cum *Mansuro*, Iracae Persicae rege, proelio, eoque devicto, *Timur* milites mittit, qui inter saucios occisosque devictum regem requirerent. Quaerentibus illis dies occidit, ingruitque nox, cujus adventus sequenti allegoriâ pingitur: حتى الى ان كادت الشمس تتوارى بالحجاب ويغمد حسام الضياء من الظلام فى قراب عند ما ضم دينار البيضاء تحت ذيل ملات الضياء ومد نساج القدرة فى جو الفضاء سداء الليل اذا سجى ونثر على سطح هذا الاديم المينا دراهم كواكبه الزهراء i. e. (quaerebant) donec prope abesset sol, ut velo sese occultaret, reponeretque gladium micantem in vaginam tenebrarum; quumque jam condidisset denarius candidus sub syr-

mate divitias lucis, et expandisset textor potentiae in aëre patente telam noctis tenebricosae, sparsissetque per superficiem hujus expansi vitri caerulei numos argenteos stellarum splendentes etc. Quae in hac allegoriâ exhibetur solis imago micantem gladium suum in tenebrarum vaginam reponentis, etsi nostris poëtis vix usitata sit, tamen non potest non videri elegantissima. Minus fortasse adridebit, solem denarium candidum dici, stellasque numos argenteos; verum et haec imago, etsi non sublimitate, veritate tamen sese commendat. Idem auctor sublimi admodum allegoriâ fortem civium Ispahanensium animum describit, quo *Timuri*, capto *Ispahano* immane saevientis, crudelitatem tolerarunt: فتحصّنوا بحصون الاصطِبار وتدرّعوا دروع الاعتبار وتلقّوا سهام القضآء من حنايا المنايا بمجنّ تسليم المراد واستقبلوا ضربات القدر من سيوف الحتوف باعناق التفويض والانقياد فاطلق فى ميادين رقابهم عنان الحسام البتّار وجعل مقابرهم بطون الذئاب والضباع وحواصل الاطيار i. e. muniverunt se munimentis patientiae, et loricas exemplorum induerunt, et exceperunt tela decreti ex arcubus fatorum clypeo submissionis voluntati (divinae), ictusque providentiae a gladiis mortiferis susceperunt collis deditionis et obedientiae. Tum laxavit in hippodromis cervicum ipsorum habenas gladii secantis, fecitque coemeterium eorum ventres luporum et hyaenarum et ingluvies avium." In hac allegoriâ nil non sublime; verum prae ceteris binae illae eminent imagines, quibus *gladii laxatis habenis in cervicum hippodromo grassantes, et luporum hyaenarumque ventres, nec non avium ingluvies coemeterium occisorum* sistuntur. Neque tamen omnes *Arabsiadae* allegoriae eâdem dignitate atque sublimitate sese commendant. Haud raro imagines, quibus utitur, et longius petitae, et rebus comparandis minus convenientes videntur. Exemplum habes in illo loco, qui de diversâ nominis *Timuri* pronuntiatione agit; ubi inter cetera haec leguntur: كرة للالفاظ الاعجميّة اذ تداولها صولجان اللغة

العربيّة خرطها في الدوران على بناء اوزانها ودحرجها كيف شاء في ميدان لسانها i. e. pila vocabulorum barbarorum, quando versat eam clava lusoria linguae Arabicae, tornatur in gyrum pro structurâ formarum ejus, volviturque pro libito in palaestrâ linguae.“ Quae hoc loco habetur allegoria, vocabulorum peregrinorum apud Arabes inflexionem imagine pilae, clavâ lusoriâ huc illuc propulsae, repraesentans, *Arabsiadae* editori, *Mangero*, elegans visa fuit; siquidem in notis ad hunc locum monet: „elegantia comparationis, quâ voces peregrinas, ab Arabibus pronuntiatas, in alias flecti formas exponit, magis adhuc elucescit ex eo, quod ipsum illud vocabulum, quo clavam exprimit, Persicae originis, ab Arabum ore mirum in modum detorqueatur.“ Nobis, si pro nostro sensu judicare licet, imago illa neque elegans, neque apta satis videtur. Namque inter pilam, pro libito huc illuc jactatam, et vocabulorum inflexionem, ad certas linguae leges institutam, parum similitudinis intercedit. Haud aliter etiam de pluribus aliis et *Arabsiadae*, et reliquorum poëtarum Arabicorum allegoriis statuendum, quarum longum esset exempla in medium proferre.

§. CII.

Superest, ut de *mysticis* poëtarum Arabicorum *allegoriis* pauca quaedam addamus. Occurrunt nempe in Arabum poësi carmina haud pauca, quibus, etsi nonnisi vini amorisque humani delicias celebrare videantur, interpretes Arabici reconditiorem aliquem tribuunt sensum, contenduntque, vini amorisque humani imagine divini amoris voluptatem describi. Arabicorum interpretum auctoritate inducti et recentiorum nonnulli mysticâ illâ interpretatione eo magis delectati sunt, quo liberior, eâ admissâ, imaginandi vis exspatiari potest. Solent autem illam interpretandi rationem in hunc fere modum commendare: animus pius eodem in Deum amore concitatur, quo juvenis ardens in puellam dilectam; quinimo divinus ille amor eo incitatior esse debet, quo

magis numinis divini pulchritudo atque perfectio omnem humanam pulchritudinem superat. Sicuti autem humano amore animus quasi inebriari et ad insaniam abripi solet, ita multo magis divino illo amore; quem habitum cum nullus sermo exprimere possit, amoris vero atque ebrietatis furor proxime illi accedat, quid mirum, poëtas amoris humani atque ebrietatis imaginibus divinum illum amorem descripsisse. Huic sententiae alii opponunt, nil omnino obstare, quo minus amoris divini voluptas amoris humani, vel ebrietatis imagine repraesentetur; neque tamen eam imaginem per integrum carmen, omissâ penitus propriâ notione, posse extendi; id enim qui facerent, non carmina, sed aenigmata scribere censendi essent. Neque ullam adesse rationem, quam propter poëtae rem maxime laudabilem, pietatem in Deum, tegumentis involvere velint, contra amores impudicos aperte profiteri. Multo igitur esse verisimilius, poëtas illos, utcunque sensum quendam occultum innuere videantur, eo solum praetextu uti, ut cives suos credulos et religiosos decipiant, et voluptatibus liberius indulgeant [98]. — Nobis in hac opinionum dissensione ita statuendum videtur: haberi omnino in Arabum poësi carmina, quae in allegoriis mysticis versentur; his tamen nonnisi ea tuto adnumerari posse, quorum vel expressa verba, vel rerum nexus altiorem illum sensum innuant; cetera, quibus nil insit, quod allegoricam interpretationem efflagitet, licet ab interpretibus Arabicis in mysticum sensum detorqueantur, proprie accipienda. Exemplum allegoriae mysticae habes in celebratissimo illo *Omari ebn Faredh* carmine, quod خمرية inscribitur. In hoc carmine amoris divini voluptas vini dulcissimi imagine pingitur, quae imago inde a carminis initio ad finem usque continuatur, et

98) Vide Jonesii poëseos Asiaticae commentariorum cap. IX, *de arcanâ poëmatum significatione.*

splendididissimis coloribus illustratur. Inesse autem carmini illi sensum altiorem inter cetera ex sequentibus discas versiculis:

تقدّم كلّ الكائنات حديثها
قديما ولا شكل هناك ولا رسم
وقامت بها الاشياء ثمّ لحكمة
بها احتجبت عن كلّ من لا له فهم

Praecessit omnes res creatas memoria ejus (vini)
Antiquitus, nulla tum (rei alicujus) forma, nullum vestigium.
Excitatae sunt per illud (omnes) res, deinde sapientiâ suâ
Sese subtraxit omnibus, qui intelligentiâ destituti sunt.

Quae hoc loco de vino praedicantur, nequaquam proprie, verum figurate de Deo esse intelligenda, neminem fugit. Hinc colligas, cetera quoque, quae, nisi orationis nexum respicias, omnino sensu proprio accipi possent, allegorice esse interpretanda.

Cap. III.

Comparatio.

§. CIII.

Quatuor dicendi genera, *simplex* videlicet, *sententiosum*, *sublime* atque *figuratum*, poëticae Hebraeorum orationi propria esse, eademque, sententiosum si excipias, Arabum quoque poësi, maxime antiquiori, convenire demonstravimus. Quod sententiosum dicendi genus Arabum poësi non tribuimus, nequaquam ita intelligi velimus, ac si genus illud a carminibus Arabicis omnino alienum sit. Contra multa in Arabum quoque carminibus sententiose dicta invenies; quin omnis eorum proverbialis poësis, quae sane haud exigua est, id dicendi genus proprium sibi vindicat. Neque tamen in ceteris poëseos Arabicae generibus adeo regnat, quam in Hebraeorum poësi, quâcum conjunctissimum est; siquidem omnis poëseos Hebraicae rhythmus nonnisi in sen-

tentioso illo dicendi genere conspicitur. In antiquissimis Arabum carminibus, quae nondum ad justorum metrorum leges composita fuere, idem obtinuisse existimaverim; verum ex eo tempore, quo Arabum poëtae in carminibus pangendis metricis legibus adstricti fuerunt, fieri haud potuit, quin sententiosum dicendi genus metricae structurae cederet.

§. CIV.

Quod ad reliqua tria adtinet dicendi genera, *simplex*, *sublime* atque *figuratum*, haud quidem negari potest, ea Hebraeorum Arabumque poësi esse communia; sed tamen concedendum quoque, et in hisce dicendi generibus aliquid discriminis inter utramque poësin intercedere. Quod discrimen in eo positum putamus, quod *simplicitate* atque *sublimitate* poësis Hebraica Arabicae praestare, contra haec illam *imaginum copiâ atque varietate* superare videatur. Qui autem factum sit, ut poësis Hebraica Arabicam simplicitate superaret, ejus rei causas jam superius (partis I cap. III) ex parte exposuimus. Monitum enim fuit, antiquissimis illis temporibus, quibus Hebraeorum poësis exorta atque exculta fuit, rarissimum Hebraeis cum exteris populis fuisse commercium; quo factum, ut omnis eorum vita, proinde et literarum studia, lingua atque poësis simplicissima essent. Contra recentioribus illis temporibus, quibus apud Arabes poëseos studium coli coeptum, frequentius omnium populorum, proinde et Arabum, cum exteris gentibus commercium; quare et vitae ratio minus simplex, literarumque, linguae atque poëseos studia cultiora atque artificiosiora. Accedit, quod Arabes ardentiori, vel ut rectius dicam, effrenatiori imaginandi vi, quam Hebraei, praediti fuisse videntur; quâ effrenatâ imaginandi vi poëtae Arabici haud raro a rectâ naturae viâ seducti inque devia abrepti fuere. Denique et legum metricarum vinculis Arabum poëtas ab eâ simplicitate, quae Hebraeis propria est, nonnunquam de-

tentos fuisse existimaverim. Namque ubi metricis legibus obnoxia est oratio, animi sensus atque cogitationes non libere adeo atque simpliciter efferri posse, quam si solutiori utaris dicendi genere, nemo est, qui ignoret. Haud quidem infitiandum, seriores Hebraeorum poëtas a priscorum simplicitate haud parum deflexisse; at vero si cum recentioribus Arabum poëtis componantur, multum tamen hisce anteponendi; neque apud illos ejusmodi tricas atque ineptias deprehendes, quales superius ex *Motanabbio* depromsimus, quibusque tantum non omnes inferioris aevi poëtae Arabici referti sunt.

§. CV.

Sicuti *simplicitate* Hebraeorum poëtae Arabes superant, ita etiam *sublimitate* illos hisce anteponendos censemus. Hujus rei causa in argumento potissimum, quod utrique tractandum sibi sumserunt, posita videtur. Hebraeorum poësis maxime res divinas spectat, quarum immensa sublimitas animum pium sublimibus sensibus atque cogitationibus imbuat, necesse est. Arabum vero poësis in humanis rebus describendis potissimum versatur, quae, licet etiam suum pondus, suamque habeant granditatem, tamen a rebus divinis longissime distant. Haud quidem desunt et Arabum poësi carmina, numinis divini laudes celebrantia; quae tamen ad ea pertinent tempora, quibus poëticus Arabum spiritus jam languebat; praeterea ab iis hominibus fusa sunt, quibus multum quidem pietatis, sed parum ingenii poëtici fuisse videtur. Prisca illa atque sublimior Arabum poësis omnis in humanis rebus pingendis versatur, e quibus ad excitandos sublimes animi sensus nil efficacius bello bellicâque virtute atque victoriâ; quare et heroica Arabum carmina prae ceteris sublimitate sese commendant. At vero si belli terrores et praeclara facinora in bello patrata cum numinis divini majestate atque potentiâ componantur, quam exilia illa atque pusilla videbuntur. Unde evenit, ut, qui numinis divini majestatem atque potentiam praedicant Hebraeorum

hymni, sensuum atque cogitationum sublimitate multum superent quidquid in Arabum poësi elati atque grandisoni habetur. Neque tamen id, quod de *sensuum atque cogitationum sublimitate* statuimus, ad *elocutionis* quoque *sublimitatem* trahendum. Etenim hanc quod adtinet, Arabum poësin Hebraicâ nequaquam inferiorem, quinimmo superiorem existimaverim. Namque lingua Arabica in universum, poësisque inprimis magnâ grandisonorum epithetorum luxuriat copiâ, quibus elocutio mirum in modum ornatur tolliturque; contra lingua Hebraica epithetorum penuriâ quâdam laborat, ita ut haud raro substantivis adjectivorum loco uti necesse habeat. Accedit, quod Arabum poëtae multo frequentius quam Hebraei, spretâ vulgari alicujus rei adpellatione, aliam, ab insigni quâdam illius rei proprietate petitam, substituant; quâ re haud parum ponderis atque sublimitatis orationi additur. Ut igitur sensuum atque cogitationum sublimitate Hebraei Arabes superant, ita elocutionis granditate Arabes Hebraeis anteponendi.

§. CVI.

Tertium dicendi genus, in quo Hebraeorum poësis cum Arabicâ consentit, *figuratum* est. Et in hoc genere aliquod inter utramque poësin obtinet discrimen, sive fontes, e quibus imagines petuntur, sive imaginum ipsarum copiam atque varietatem spectes. Imaginum copiâ atque varietate Arabum poëtas Hebraeis superiores esse, jam monitum fuit. Cujus rei causa in ardentiori Arabum imaginandi vi quaerenda, quae simplici propriâque rerum formâ non contenta, novos undique requirit colores, quibus res suas illustret augeatque. Quo ardentior autem imaginandi vis, eo majori etiam in componendis rebus utetur libertate, ita quidem, ut haud raro diversissima inter se comparet, imaginesque suas a rebus remotissimis repetat. Quare et imagines, quibus Arabum poëtae utuntur, saepissime longius a nostro sensu recedere videntur; quod quidem et in poëtarum Hebraeorum imaginibus, sed tamen rarius, accidit.

§. CVII.

Jam ad fontes quod adtinet, e quibus Hebraeorum Arabumque poëtae imagines suas hauriunt, eosdem fere utrisque esse vidimus; namque et Hebraeorum et Arabum poëtae vel ex rerum naturâ in universum, vel a rebus naturalibus terrae suae propriis, vel ex vitae communis usu, rebus gentis suae memorabilibus, nec non ex historiâ fabulosâ imagines, quibus utuntur, repetere solent. Imaginibus ex rerum naturâ in universum petitis simili ratione utuntur Hebraei Arabesque, utrisque *lux fortunae secundae* imago, *caligo adversae*, *sol praestantiae atque pulchritudinis*, *pluvia liberalitatis*, *montes excelsi securitatis*, *aquarum gurgites periculorum* etc. Quod si tamen in hoc genere aliquid discriminis statuere velis, id in eo positum erit, quod Arabum poëtae per universam rerum naturam exspatientur, undique orationis flores decerpentes; Hebraei vero arctioribus limitibus sese contineant, certis quibusdam imaginibus constantius inhaerentes.

§. CVIII.

Quae ex regionum, quas Hebraeorum Arabumque poëtae incolebant, naturâ petitae sunt imagines, similes in iis, quae regionibus illis communia, at diversae in iis, quae cuivis peculiaria sunt regioni, deprehenduntur. Cum *leones*, *lupi*, *asini*, *onagri*, *cervi*, *dorcades*, *columbae*, *serpentes*, *palmae*, *rosae* et cetera, Palaestinae Arabiaeque communia sint, Hebraeorum Arabumque poëtae promiscue imaginibus, ab illis rebus petitis, utuntur. *Equus* et *camelus* Palaestinae quidem non alieni, neque tamen frequentes adeo, quam in Arabiâ; quare rara eorum apud poëtas Hebraeos mentio, frequentissima apud Arabes. Idem et de *hyaenâ* atque *struthiocamelo* statuendum; etsi utrumque animal Hebraeis haud fuerit incognitum, tamen cum rarissime in Palaestinâ obviam sit, rarissime etiam ab Hebraeorum poëtis in oratione figuratâ adhibetur. Contra Arabum poëtae frequentissime imagines suas

ab animantibus hisce repetunt, quippe quae in Arabiae desertis frequenter occurrunt. Quibus mirum in modum Hebraeorum poëtae delectantur montibus, *Libano*, *Carmelo*, fluvioque *Jordane*, Arabum poëtis vix memorantur; contra qui ab Arabum poëtis celebrantur *Arafat*, *Safa*, *Merwa* montes sacri, *Mina* convallis, *Wedschra* desertum, *Gadha* atque *Atsla* arbores, nusquam in carminibus Hebraicis obviam sunt. Haud praetereundum hoc loco, inter poëticos Veteris Testamenti libros vix ullum, imaginum indolem atque originem si spectes, ad Arabicam propius accedere poësin *Jobi libro;* siquidem quae in illo occurrunt imagines atque descriptiones magis ad Arabiam Aegyptumque, quam ad Palaestinam pertinere videntur. Certe elegantissimae *equi*, *struthiocameli*, *hippopotami crocodili*que descriptiones non Palaestinam, sed Arabiam vel Aegyptum redolent. Quare haud immerito statuas, illius libri auctorem, quamvis natione Hebraeus censendus sit, vel in Arabiâ Aegyptove degisse, vel utriusque terrae res naturales apprime cognitas habuisse.

§. CIX.

Quod de imaginibus, quas a terrae suae rebus naturalibus Hebraeorum Arabumque poëtae derivant, monuimus, videlicet pro rerum illarum aequalitate vel diversitate et imagines ab iisdem petitas vel aequales, vel diversas esse, similiter et de imaginibus ex Hebraeorum Arabumque vitae ratione haustis statuendum. Multa utrique populo in vitae communis usu eadem, nonnulla vero diversa fuere; quare et imagines ab utriusque populi vitae ratione petitae saepissime eaedem, nonnunquam vero diversae erunt. Uterque populus *agrorum culturae pecorique pascendo* deditus fuit; quare et utriusque populi poëtae imagines suas et ab *agrorum culturâ*, et a *re pecuariâ* repetunt. Verum cum agricultura apud Hebraeos multo majoris, quam apud Arabes, aestimaretur, evenit, ut poëtae Hebraici multo frequentius, quam

Arabici imagines suas a rebus ad agrorum culturam pertinentibus derivarent. Haud aliter de imaginibus a rebus sacris petitis statuendum. Cum omnis Hebraeorum vita religione quasi imbuta esset, fieri non potuit, quin eorum poëtae in oratione figuratâ saepius ad *res sacras* recurrerent. Arabes piis sensibus haud quidem destituti, neque tamen rebus sacris tantum addicti fuere, quantum Hebraei; quare et in illorum carminibus rarius imagines a rebus sacris petitas deprehendes. At vero rebus bellicis inde ab antiquissimis temporibus mirum in modum dedita fuit Arabum gens; quo factum est, ut et poëtae Arabici orationis figuras frequentissime e *rebus bellicis* depromerent. Hebraei minus quam Arabes bellis dediti fuere; unde et ipsorum poëtae minus frequenter imaginibus a rebus bellicis petitis utuntur.

§. CX.

Utriusque populi poëtae denique et ex *historiâ*, sive *verâ*, sive *fabulosâ* orationis imagines repetere solent. Quod ubi Hebraeorum poëtae faciunt, constanter gentis suae historiae inhaerent, quippe qui aliorum populorum historiam neque cognitam habebant, neque, si omnino cognitam habuissent, dignam censuissent, quam in oratione figuratâ adhiberent. Arabum contra poëtae saepius ad Hebraeorum historiam recurrunt, quam tum ex Judaeorum atque Christianorum, quorum commercio utebantur, traditione, tum ex Alcorano didicerant. Quas ex historiâ fabulosâ Hebraeorum Arabumque poëtae depromunt imagines, pro diversâ fabularum apud utrumque populum ratione, diversas invenies. In Hebraeorum historiâ fabulosâ *Cherubis* praecipuus locus; quo fit, ut poëtae Hebraici illos saepius in oratione figuratâ adhibeant; Arabes vero multa de geniis atque daemonibus fabulantur; unde haud mirum, et poëtas ipsorum imagines suas saepius a *geniis daemonibusque* repetere. Hebraei mirum in modum *aureae illius aetatis, quam adventante Messiâ exorturam sibi sperabant*, cogitatione de-

lectabantur; quare et ipsorum poëtae pulcherrimas ex illius aetatis cogitatione deducunt imagines; Arabibus vero nil videbatur beatius *paradiso illo coelesti*, qui pios, vitâ defunctos, manere credebatur; unde et in poëtarum Arabicorum oratione figuratâ frequentissima *paradisi* mentio.

§. CXI.

Haec fere, fontes si spectes, unde Hebraeorum Arabumque poëtae imagines suas hausere, inter utrosque convenientia atque differentia; quod ad ipsas dicendi figuras adtinet, praeter *parabolam*, easdem utriusque populi poëtis usitatas deprehendes. Solent namque et Hebraeorum et Arabum poëtae, sicuti jam monitum fuit, *metaphoris*, *comparationibus*, *prosopopoeiis*, *allegoriis*que frequentissime uti. Quantum in *metaphoris* adhibendis inter se consentiant differantque, jam ex iis, quae de imaginum poëticarum fontibus dicta sunt, sufficienter adparebit; videndum igitur, quinam in *comparationibus, prosopopoeiis allegoriis*que Hebraeorum Arabumque obtineat consensus atque dissensus. In *comparationibus* id utriusque populi poëtis commune, ut similitudines, quibus utuntur, raro uberius explicent, verum uno alterove adjuncto adquiescentes, novas potius proferant similitudines, quam prolatas jam speciosis coloribus exornent. Neque tamen desiderantur in utrâque poësi comparationes, quibus similitudines adhibitae et uberius et speciosius explicantur, ita ut cum elegantissimis *Homeri* aut *Virgilii* comparationibus merito componi possint. Id quoque tum Hebraeorum, tum Arabum comparationibus proprium, ut nonnunquam a sensu nostro abhorrere videantur; quod tamen saepius in Arabum, quam Hebraeorum comparationibus deprehenditur. Quod si quaeras, utrum hisce, an illis in hoc figurarum genere palma sit deferenda, difficile erit judicium: certe et in Hebraeorum et in Arabum, maxime antiquiorum, carminibus appositissimas et pulcherrimas invenies comparationes. Eatenus tamen Hebraeos Arabibus praestare dixeris, quatenus

vel sequiores Hebraeorum poëtae non adeo a pulchri verique sensu degenerarunt, quam seriores Arabes, in quorum carminibus, sicuti exempla superius in medium prolata docent, sat ineptae putidaeque comparationes habentur.

§. CXII.

Frequentissime utriusque populi poëtae et *prosopopoeiam* adhibent. In hujus figurae usu Hebraei Arabesque Graecorum, Romanorum reliquorumque occidentis populorum poëtas longe superant; ipsi autem pares fere censendi. Quod si tamen aliquod inter utrosque in hujus figurae usu discrimen statuendum sit, id in eo positum erit, quod illa dicendi formula, quâ rei alicujus ad alteram relatio ita exprimitur, ut illa hujus *pater*, *mater*, *filius*, *filia*, *frater soror*que dicatur, quod illa, inquam, dicendi formula, quam etiam ad prosopopoeiam referimus, frequentius in Arabum, quam Hebraeorum carminibus occurrat. Neque tamen praetermittendum, pauca tantum poëseos Hebraicae monimenta ad nos superasse; quod si tanta carminum Hebraicorum moles, quanta Arabicorum, superstes esset, procul dubio in hoc quoque elocutionis genere Hebraei cum Arabibus concertarent.

§. CXIII.

Inter Hebraeorum Arabumque *allegorias* idem consensus, idemque intercedit discrimen, quod in eorum imaginibus atque metaphoris in universum conspicitur. Est enim allegoria imago sive metaphora continuata; quare quantum in imaginibus metaphorisque suis Hebraeorum Arabumque poëtae consentiunt dissentiuntque, tantum etiam in allegoriis consentient atque dissentient. Jam cum superius de imaginum, quibus Hebraei Arabesque utuntur, consensu atque discrimine actum fuerit, superfluum videtur, eadem illa et de allegoriâ praedicare. Unum id addendum, in Hebraeorum poësi nullas obviam esse allegorias mysticas, quales omnino in Arabum poësi habentur. Cujus rei causam in

eo positam esse putarim, quod Hebraeorum poëtae nunquam a sanâ sobriâque mente adeo deflexerint, quam religiosi illi, vel fanatici Arabes, qui rem sanctissimam, numinis divini amorem, lascivissimis interdum imaginibus involvere haud veriti sunt.

§. CXIV.

Inter dicendi figuras, quae in Hebraeorum poësi obviam sunt, denique et *parabola* referenda. Haec figura in Arabum carminibus desideratur; quod haud mirandum, siquidem et apud Hebraeos nonnisi in prophetarum scriptis, maxime seriorum, quorum dicendi genus proxime ad pedestrem accedit orationem, locum habet. Quinimmo jam ipsâ naturâ suâ parabola, cum sit rei cujusdam fictae narratio, ad illustrandam veritatem aliquam adhibita, magis ad pedestrem, quam poëticam orationem pertinere videtur. — De reliquis, minoris momenti figuris, quibus Hebraeorum Arabumque poëtae, praeter memoratas, utuntur, non est, quod dicamus; etenim, ni fallimur, jam ex illis, quae hucdum disputavimus, adparebit, quantum utriusque populi poësis, stylum si spectes, inter se consentiat atque differat.

Pars IV.

De externâ carminum Hebraicorum atque Arabicorum formâ.

Cap. I.

De externâ carminum Hebraicorum formâ.

§. CXV.

Jam inde ab antiquissimis temporibus a viris doctis quaesitum fuit, quaenam externa carminum Hebraicorum fuerit forma, utrum legibus metricis, ad instar carminum Graecorum atque

Romanorum, adstricta, an liberiori quâdam structurâ, ad solutam propius accedente orationem, fuerint composita? In diversas, ut fieri assolet, partes sententiae abiêre. Fuere, qui contenderent, Hebraeorum haud minus, quam Graecorum atque Romanorum carmina legibus metricis esse obnoxia, adeo quidem, ut pro diverso syllabarum numero atque tenore diversi quoque pedes, et pro diversâ pedum ratione diversa etiam versuum genera locum haberent. Neque dubitarunt, leges Hebraeorum metricas adhuc posse extricari; quin imo periculum fecerunt, carmina Hebraica ad metra sua revocandi. Alii Hebraeorum poësin metricis legibus adstrictam quidem esse concedunt, at vero leges illas, deperditâ tot seculorum decursu linguae Hebraicae pronuntiatione, nostrâ aetate perspici atque extricari posse negant. Neque desunt, qui carmina Hebraica justorum metrorum vinculis destituta liberiori aliquo numero sive rhythmo ferri existiment. In tanto virorum doctorum dissensu haud alienum a proposito nostro judicamus, diversas illas circa externam carminum Hebraicorum formam sententias accuratius aliquanto expendere.

§. CXVI.

I. Hebraeorum carmina legibus *metricis adstricta*, diversaque versuum genera, *hexametra*, *pentametra*, *trimetra*, Hebraeorum poëtis usitata esse jam *Josephus*, notissimus ille rerum Judaicarum scriptor, medio seculo primo clarus, contendit. Namque *Antiquitatum Judaicarum* libro II, cap. XVI, de *Mosis* cantico, quo mirabilis ille per mare rubrum transitus celebratur, mentionem injiciens, in hunc modum disserit: *καὶ Μωϋσῆς ᾠδὴν εἰς τὸν Θεὸν, ἐγκώμιόν τε καὶ τῆς εὐμενείας εὐχαριστίαν περιέχουσαν, ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ συντίθησι*, i. e. et Moses carmen in Deum, laudes et gratiarum actionem pro benevolentiâ continens, hexametro versu composuit. Idem auctor *Antiquitt.* libro IV, capite VIII, de altero *Mosis* cantico, quod divinus ille vir, e vitâ discessurus,

in concione populi Israëlitici recitavit, haec tradit: *Ἔπειτα ποίησιν ἑξάμετρον αὐτοῖς ἀνέγνω, ἣν καταλέλοιπεν ἐν τῷ βιβλίῳ τῷ ἱερῷ, πρόῤῥησιν ἔχουσαν τῶν ἐσομένων*, i. e. deinde carmen hexametrum iis recitavit, quod in sacro codice reliquit, praedictionem futurorum continens. Haud aliter idem de *Davidis* sentit carminibus; siquidem *Antiquitt.* libro VII, cap. XII, refert: *ἀπηλλαγμένος δ' ἤδη πολέμων ὁ Δαβίδης καὶ κινδύνων, καὶ βαθείας ἀπολαύων τὸ λοιπὸν εἰρήνης ᾠδὰς εἰς τὸν θεὸν καὶ ὕμνους συνετάξατο μέτρου ποικίλου· τοὺς μὲν γὰρ τριμέτρους, τοὺς δὲ πενταμέτρους ἐποίησε*, i. e. *David* autem bellis periculisque jam perfunctus et altâ exinde pace fruens, odas hymnosque in Deum vario metro composuit: quosdam quidem trimetros, alios pentametros fecit. — In *Josephi* sententiam et priscae ecclesiae patres nonnulli discedunt; in his *Eusebius* et *Hieronymus*. *Eusebius de praeparatione evangelicâ*, libro XI, cap. 3, de Hebraeorum carminibus monet: *εἶεν δ' ἂν αὐτοῖς καὶ ἔμμετροι ποιήσεις, ὡς ἡ μεγάλη Μωσέως ᾠδὴ, καὶ τοῦ Δαβὶδ ὁ ριή ψαλμὸς τῷ καλουμένῳ παρ' Ἕλλησιν ἡρώῳ μέτρῳ συντεταγμένοι· φασὶ γοῦν ἑξάμετρα εἶναι ταῦτα, δι' ἑκκαίδεκα συλλαβῶν πεποιημένα· καὶ τὰ λοιπὰ δὲ τὰ παρ' αὐτοῖς δι' ἐπῶν λέγεται τριμέτρων τε καὶ τετραμέτρων κατὰ τὴν οἰκείαν αὐτῶν συγκεῖσθαι φωνήν*, i. e. sunt vero ipsis et metrica carmina, ut magna *Mosis* ode et *Davidis* psalmus CXVIII (in exemplaribus Hebraicis CXIX), heroico, ut dicitur Graecis, metro composita. Ajunt igitur haec esse hexametra, sedecim syllabis confecta; reliqua etiam ipsorum carmina trimetris et tetrametris versibus, vernaculo sermone, condita esse dicuntur. — Eandem sententiam tuetur *Hieronymus*, qui in praefatione ad *Eusebii Chronicon* in hunc modum disputat: „Quid psalterio canorius? quod in morem nostri Flacci et Graeci Pindari nunc Jambo currit, nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc semipede ingreditur. Quid *Deuteronomii* et *Isaiae* cantico pulchrius? quid *Salomone* gravius? quid perfectius *Job*, quae omnia hexametris et pentametris versibus (ut *Josephus* et *Orige-*

nes scribunt, apud suos composita occurrunt." Similia idem in praefatione in *Jobum* tradit: „a principio voluminis usque ad verba *Job*, apud Hebraeos prosa oratio est; porro a verbis *Job*, in quibus ait: pereat dies, in quâ natus sum, et nox, in quâ dictum est, conceptus est homo, usque ad eum locum, ubi ante finem voluminis scriptum est: idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam in favillâ et cinere, hexametri versus sunt, dactylo spondeoque currentes, et propter linguae idioma crebro accipientes et alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum. Interdum quoque rhythmus ipse dulcis et tinnulus fertur, numeris pedum solutis; quod metrici magis, quam simplex lector, intelligunt. — — — Quodsi cui videtur incredulum, metra scilicet esse apud Hebraeos, et in morem nostri *Flacci* Graecique *Pindari* et *Alcaei* et *Sapphus* vel psalterium, vel lamentationes *Hieremiae*, vel omnia ferme Scripturarum cantica comprehendi, legat *Philonem*, *Josephum*, *Origenem*, *Caesariensem Eusebium*, et eorum testimoniis, me verum dicere, comprobabit." *Eusebio* et *Hieronymo* accedunt *Augustinus*, *Isidorus Hispalensis* aliique, quorum longum esset ad verbum enumerare sententias [99]).

§. CXVII.

Tantorum virorum si quis inspiciat testimonia, facile induci possit, ut Hebraeorum carmina iisdem legibus metricis atque Graecorum atque Romanorum poëmata adstricta existimet; verum si rem ipsam diligentius examinaverit, fieri haud poterit, quin aliter sentiat, quam auctores illi statuisse videntur. Namque, quod primo monendum, quae de metricâ carminum Hebraicorum formâ laudati tradunt auctores, nullis illustrant exemplis, unde perspicere possis, quâ

---

99) Vide Franc. Gomari opusculum, quod inscribitur: Davidis lyra, s. nova Hebraea S. Scripturae ars poëtica; in tertiâ parte operum theologicor. p. 388, 389. Jo. Gottl. Carpzovii Introduct. ad libros canonicos bibliorum Vet. Testam. edit. II, P. II, p. 12—14.

ratione Graecorum vel Romanorum numeros pedesque carminibus Hebraicis adaptaverint. Deinde si quis ad metrorum, quorum auctores illi mentionem injiciunt, leges carmina Hebraica revocare velit, vereor, ne in quovis versu haereat, inextricabilibus impeditus difficultatibus. Exemplo sit dirum illud *Jobi* carmen (cap. III.), quo diem natalem detestatur; quod ex *Hieronymi* sententiâ versibus *hexametris*, dactylo spondeoque currentibus, conscriptum est. Hujus carminis versus tres priores in hunc modum audiunt:

יאבד יום אולד, בו
והלילה אמר הרה גבר:
היום ההוא יהי חשך
אל ידרשהו אלוה ממעל
ואל תופע עליו נהרה:
יגאלהו חשך וצלמות
תשכן עליו עננה.
יבעתהו כמרירי יום:

Pereat dies, quo natus sum,
Et nox, quae dixit, masculus conceptus est.
Dies ille sit caliginosus,
Haud requirat eum Deus desuper,
Neque adfulgeat ei lux.
Occupent eum tenebrae et mortis umbra,
Incubent ei nubila,
Terreant eum obscurationes diei.

Quorum versuum ex *Bellermanni* sententiâ ratio metrica haec fere:

Jōbăd | jōm ĭv | vālăd | bō
Văl | lājlăh | ămār | hōră | gābăr
Hăj | jōm hă | hū j'hĭ | chōschăch
Āl jĭd | rschēhŭ | 'lōh' mĭm | māăl
Vāl thŏ | fā ă | lāv nhă | rāh
Ĭígă | lūhŭ | chōschăch vzăl | māvăth

Thischcŏn ă | lāv 'nă | nāh
Ibá | thūhŭ khīm | rīrĕ | jōm [100]).

Eorundem versuum rationem metricam ad *Jonesii* mentem si constituere velis, diversam longe habebis syllabarum quantitatem, et quidem hujuscemodi:

lōbăd jōm iwwălĕd bō
wĕhāllăjlāh ămār hŏrāh găbĕr
hăjjōm hăhū jĕhī chŏschēch
āl jīdrĕschèhū ĕlōah mīmăāl.
wĕāl tōphā ălāw nĕhărāh
jīgălŭhū chŏschēch wĕzălmăwĕth
thīschkōn ălāw ănănāh
jibăthŭhū kīmrīrē jōm [101]).

---

100) Bellermanni tentamen de Hebraeorum re metricâ, p. 173. In definiendâ syllabarum quantitate Bellermannus notissimum illud Danzii systema trium morarum sequitur, quod duobus potissimum continetur praeceptis: 1) syllaba tono destituta tres requirit moras; 2) syllaba tonica duas vel quatuor admittit moras. Verum enim vero multa sunt, quae systemati huic officiant, quibus exponendis haud immorabimur. Sufficiat monuisse, universum illud systema ex Masoretharum pendere punctatione, quam tamen in constituendâ prisci sermonis Hebraici prosodiâ vix tuto sequaris. Accedit, quod haud probabile sit, systema illud a Masorethis constitutum atque observatum fuisse. Etenim, quod primum est, nullus veterum grammaticorum Judaicorum systematis illius aliquam injicit mentionem; deinde neque omnes Masorethicae punctationis leges ex illo trium morarum systematê derivari atque explicari possunt. Uberius et, ni fallimur, solidis argumentis systema illud impugnarunt Jo. Dav. Michaelis in notis ad Lowthii de sacrâ Hebraeorum poësi praelectionem tertiam, P. 53 — 58; Jo. Sev. Vater in praefatione grammaticae Hebraicae, p. 31—38; et Guil. Gesenius in historiâ linguae et scripturae Hebraicae p. 124.

101) Jonesii poëseos Asiaticae commentarii p. 62, editionis ab Eich-

Jam ad laudatos quod adtinet versus, sive *Bellermanni*, sive *Jonesii*, sive cujusvis aliûs praecepta metrica sequaris, non videmus, quâ ratione ad justi hexametri mensuram possint revocari. Monet quidem *Bellermannus*, *Josephum*, *Eusebium*, *Hieronymum* aliosque ecclesiae patres, ubi de hexametris et pentametris Hebraeorum versibus loquantur, non Graecorum numeros mensuramque respexisse; Hebraeorum hexametrum non esse nisi jambicum senarium, vel octonarium. At vero *Hieronymus*, nisi carmina Hebraica ad Graecorum numeros revocare voluisset, vix dixisset, *Jobum* versibus hexametris, dactylo spondeoque currentibus, conscriptum esse; psalmosque in morem *Flacci* atque *Pindari* nunc Jambo currere, nunc Alcaico personare, nunc Sapphico tumere. Sed concedamus, quem *Josephus*, *Eusebius* atque *Hieronymus* hexametrum dixere, non esse nisi jambicum senarium, vel octonarium, haud tamen id ipsum metri genus Jobo conveniet. Namque ex ipsius *Bellermanni* sententiâ versuum laudatorum pedes maximam partem trochaici sunt; quos tamen pedes minime omnium recipiunt Jambici senarii. Rectius igitur statuas, *Josephum* et priscae ecclesiae patres Hebraeorum carmina omnino ad Graecorum numeros revocare voluisse, neque tamen carminum illorum rationem metricam probe perspectam habuisse.

---

hornio adornatae. Quam Arabes in metiendâ syllabarum quantitate statuunt legem, eandem Jonesius in Hebraeorum poësi sequitur. Quare eas syllabas, quae aut consonante, aut literâ quiescente terminantur, longas dicit, contra breves, quae in vocalem desinunt. Quod cum haud improbandum sit, in eo tamen lapsus videtur vir doctissimus, quod iis consonis, quae in principio syllabae vocali destitutae, adeoque schwâ mobili notatae sunt, brevem vocalem tribuat; quo fit, ut e. g. vocabulum דְּרוּשִׁים dĕrûschîm pronuntiet, quasi trisyllabum esset; cum tamen nonnisi duabus constet syllabis, et drûschîm efferendum sit.

§. CXVIII.

Praeclarorum, quos memoravimus, virorum auctoritate inducti et recentiorum nonnulli carmina Hebraica metricis legibus adstricta esse contenderunt, legesque illas ad liquidum perducere conati sunt. In his praeprimis *Gomarus*, *Harius*, *Jonesius* et *Bellermannus*. *Franciscus Gomarus*, Brugensis, Groningae quondam theologiae linguaeque Hebraicae professor, in laudato jam libello, qui inscribitur *Davidis lyra*, *s. nova Hebraea S. Scripturae ars poëtica*, operoso sane, sed infelici labore metricum linguae Hebraicae systema effingere conatus est. In priori systematis hujusce parte certi quidam de syllabarum quantitate, variisque pedum et carminum generibus traduntur canones, subjectis exemplis e sacrâ Hebraeorum poësi petitis, institutâque cum Graecorum et Romanorum carminibus collatione, illustrati; posterior exinde pars carminum Hebraicorum secundum canones in priori parte traditos analysin exhibet. Quam infeliciter Gomarus in tractandâ Hebraeorum arte metricâ versatus sit, facile ex unâ alterâve legum, quas tradit, metricarum perspicias. De syllabarum quantitate inter cetera haec statuuntur praecepta: *brevis syllaba est, quae habet brevem, hoc est simplicis temporis vocalem; vocales breves per se quidem sunt quinque, per accidens vero tres brevissimae, quas raptas vocant; longa syllaba est, quae habet longam, seu duplicis temporis vocalem, quales sunt quinque tantum; syllaba brevis positione non fit longa; contra vocalis longa (nisi accentus intercedat) ante duas consonas positione mutatur in brevem.* Quae praecepta diligentiori si subjicias examini, deprehendes, Gomarum primo in eo lapsum esse, quod vocalium Hebraicarum distributionem in quinque longas totidemque breves, a Judaeorum grammaticis excogitatam, antiquae Hebraeorum linguae propriam putaret. Atqui nemo est, linguae Hebraicae vel mediocriter gnarus, qui non videat, distributionem illam neque linguae Hebraicae ingenio convenientem, neque

omnino veram esse. Namque rectius Hebraeorum vocales, ad instar Grammaticorum Arabicorum, in tres redigas classes, quarum prior vocales sonum a, ae, exprimentes, proinde *Kamez*, *Pathach*, *Segol*; altera vocales sonum e, i, notantes, proinde *Zere*, *Segol*, *Chirek*; tertia denique vocales sonum o, u, significantes, proinde *Cholem*, *Kamez chatuph*, *Schurek* et *Kibbuz* comprehendet. Accedit, quod non omnes vocales, quas *Gomarus* cum Judaeorum grammaticis breves existimat, naturâ suâ semperque corripiantur, id quod de *Segol*, *Chirek* et *Kibbuz* praedicaverim. Vocalem *Segol* non semper corripi, imo saepius protendi, exemplo sint הֶהָרִים, תִּמְצֶאנָה, יָדֶיךָ; in priori namque vocabulo Segol in locum τοῦ Kamez successit, proinde protrahendum; in altero vero tertioque vocabulo literis quiescentibus א, י, longum efficitur. Haud aliter de *Chirek* et *Kibbuz* statuendum. Saepius enim *Chirek*, etsi fulcro suo destitutum sit, protrahendum; exemplo sit שָׁלִשִׁם 2 Mos. XIV, 18, pro שָׁלִישִׁים; אַדִּרִם Ezech. XXII, 18, pro אַדִּירִים; יִרְאוּ pro יִירְאוּ timebunt, 2 Regg. XVII, 28. Similiter et *Kibbuz* haud raro in locum τοῦ *Schurek* succedit, proinde protrahendum; e. g. זְבֻל pro זְבוּל, קָטֻל pro קָטוּל, יָשֻׁבוּ pro יָשׁוּבוּ etc. Quae si quis perpendat, haud invitus nobis concedet, *Gomari* de syllabarum quantitate praecepta: *breves nempe eas esse, quae brevem habeant vocalem, longas contra, quae longam; quinque porro breves totidemque longas esse vocales*, infirmissimo niti fundamento. Haud aliter de altero illo canone, *brevem syllabam positione haud fieri longam, contra vocalem longam (nisi accentus intercedat) positione in brevem mutari*, censendum. Namque quod in priori canonis hujusce parte statuitur, brevem syllabam positione haud fieri longam, omnium linguarum, in quibus longarum breviumque vocalium discrimen obtinet, legibus adversari videtur. In omnibus illis linguis, Graecâ, Latinâ, Arabicâ, vocales breves, duabus vel pluribus sequentibus consonis, protrahuntur; id quod ex

ipsâ pronuntiationis naturâ sequitur. Etenim consonarum pronuntiatio difficilior tardiorque vocalium pronuntiatione. Vocalium sonus solo veluti flatu atque spiritu formatur; contra consonarum pronuntiatio organorum, quibus efferuntur, motu retardatur. Quare si plures consonae vocalem sequantur, necesse est, ut pronuntiatio retardetur, adeoque et syllaba protrahatur. Haud quidem nos fugit, in recentiorum Europae linguarum poësi positionis nullam fere rationem haberi; verum in his linguis neque illud longarum breviumque vocalium obtinet discrimen, quod in Graecâ Latinâque linguâ locum habet, syllabarumque longitudo vel brevitas non quantitate, sed tono definitur. Quare si statuas, haberi in linguâ Hebraicâ vocales naturâ suâ longas vel breves, concedas etiam necesse est, vocales breves positione longas reddi; vel si posterius id neges, omnis omnino vocalium quantitas neganda erit, quo vero facto omnis quoque *Gomari* ars metrica evertitur. Quod in alterâ laudati canonis parte statuitur: *vocalem longam, nisi accentus intercedat, positione in brevem mutari*, maxime id spectare videtur, quod in syllabis compositis sequente Makkeph, vel mutato tono vocales longae in breves mutentur; e. g. כָּל־הָעָם pro כֹּל־הָעָם, וַיֵּלַךְ pro וַיֵּלֶךְ etc. Verum hujus mutationis causa nequaquam ad positionem, verum ad toni defectum referenda; namque ubi syllaba composita tonum suum retinet, et vocalis longa vix ullam subit mutationem, sicuti in voce תְּקָט־לֵנָה videre est. Neque punctorum vocalium auctores, cum in syllabis compositis, tono destitutis, longam vocalem in brevem mutarent, eâ mutatione innuisse videntur, syllabas illas ratione quantitatis corripiendas, verum ratione toni non tollendas, sed deprimendas esse. Sed superfluum videtur, refellendis *Gomari* praeceptis metricis diutius immorari; sufficiat unum id addidisse, *Gomarum* ipsum omnem operam suam irritam reddidisse, capite XXIII praecipientem: *Omnia sacrae scripturae poëmata Hebraea variis ac promiscuis carminum generibus constare;*

eadem absoluta esse, non relata: hoc est, quae similibus versibus, sibi pari numero ac serie respondentibus careant [102]).

§. CXIX.

Gomaro haud felicior in expediendâ Hebraeorum re metricâ *Franciscus Harius*, episcopus Cicestrensis. Quae *Harius* in *libro psalmorum in versiculos metrice diviso et integritati suae restituto*, tradit praecepta metrica adeo omni probabili ratione destituta sunt, ut vix digna videantur, quae refellantur. Sufficiet, unam alteramve legum metricarum, quas *Harius* statuit, in medium protulisse, quarum ex indole facile omnis metricae Harianae naturam perspicias. Praecipit igitur primo *Harius*, *in Hebraeorum poësi omnes pedes dissyllabos esse*; 2) *quantitatis syllabarum nullam rationem haberi*; 3) *ubi par sit syllabarum numerus, versus censendos esse jambicos, syllabamque secundam, ut rhythmus servetur, acuendam* etc. Quas leges si quis perpenderit, quaerat necesse est, quibus argumentis evinci possit, omnes in Hebraeorum poësi pedes dissyllabos esse, cum tamen non Graecorum tantum Romanorumque, verum etiam Arabum carmina, praeter dissyllabos et trium nec non quatuor syllabarum pedes admittant? Quaerat porro, quo pacto de versibus trochaicis jambicisque in Hebraeorum carminibus sermo esse possit, si nulla quantitatis syllabarum ratio habenda sit? Neque liquet, quam propter causam versus illi, in quibus par syllabarum numerus, trochaici censendi, contra illi, quorum impares numero syllabae, jambicis adnumerandi sint. An ex naturâ versûs trochaici jambicique lex illa petita? Minime; contra Graecorum Romanorumque versus trochaici catalectici sunt, adeoque impari syllabarum numero

---

102) Uberius Gomari praecepta metrica refutavit Ludovicus Capellus in animadversionibus ad novam Davidis lyram; quae in ejusdem auctoris Criticâ sacrâ habentur p. 651—666.

gaudent; jambici vero ut plurimum acatalectici, pari igitur syllabarum numero constituti; quae res *Harii* praeceptis metricis plane adversatur.

§. CXX.

Saniores multo, quam *Harius*, de Hebraeorum re metricâ leges statuit *E. J. Greve* in libro, qui inscribitur: *Ultima capita libri Jobi, nempe cap. XXXVIII, XXXIX, XL, XLI, et capitis XLII pars, ad graecam versionem recensita notisque illustrata ab E. J. Greve. Accedit tractatus de metris Hebraicis, praesertim Jobaeis. Pars I, complectens c. XXXVIII et XXXIX. Daventriae*, 1788. *P. II. complectens c. XL, XLI et XLII*, 1—6, *et libellum de metris.* 1791. In exponendis metricae Hebraicae praeceptis *Grevius* iis maxime inhaeret legibus prosodicis, quas Syrorum Arabumque poëtae in carminibus suis sequuntur. Quare prius, quam de Hebraeorum re metricâ agitur, Syrorum Arabumque prosodia breviter exponitur. Quae inde ad Hebraeorum poësin transferuntur leges prosodicae hae fere suut: 1) *quae in vocalem nudam desinunt syllabae, breves sunt; longae contra, quae literâ quiescente, vel consonâ terminantur;* 2) *Schwa mobile, sive simplex, sive compositum sit, vocalis loco existimandum; neque tamen τοῦ Pathach, quod furtivum dicitur, ratio ulla habenda;* 3) *quod ab Hebraeorum grammaticis statuitur longarum breviumque vocalium discrimen, nihili pendendum; omnes vocales breves sunt, nisi positione, vel literis quiescentibus producantur;* 4) *omnes consonae, proinde et gutturales, exigentibus rationibus grammaticis, Dagesch forte admittunt.* Haud diffitendum, leges hasce multo probabiliores esse iis, quas *Gomarus Harius*que statuerunt; neque tamen *Grevius* ipse praeceptis suis constanter inhaeret; contra frequentissimis exceptionibus omnem metricam suam labefactat. Praecipit enim, ut unum e multis in medium proferamus exemplum, nominum masculinorum et femininorum in plurali

numero terminationes ים, י, ות, nec non femininorum in singulari terminationes ה, ת, laudatis legibus non esse subjectas, sed promiscuo usu modo longas, modo breves haberi; quod quo jure statui possit, nos quidem non videmus. Accedit, quod vocabulorum Hebraicorum pronuntiationem a Masorethis traditam *Grevius* rejiciat, novamque Hebraica pronuntiandi rationem, maxime ad linguae Arabicae pronuntiationem accedentem, doceat. Verum enim vero licet negari haud possit, pronuntiationem a Masorethis nobis traditam vix eam esse, quâ Hebraei florentibus rebus suis usi sunt: tamen concedendum, pronuntiationem illam et perantiquam esse, et convenientiae illi atque differentiae, quae sermonem Hebraicum inter cognatasque linguas, Aramaeam maxime atque Arabicam, intercedit, accommodatissimam [103]). Quare haud temere a pronuntiatione masorethicâ discedendum, neque sermo Hebraicus ad normam Arabici constituendus; nam etsi magnus inter utrumque consensus, tamen et unicuique suae proprietates, quae nequaquam confundendae atque delendae sunt.

§. CXXI.

Ex iis, quae hactenus disputata sunt, adparebit, ni fallimur, oleum et operam, sicuti in proverbio ajunt, eos perdidisse, qui Hebraeorum rem metricam explicare conati sunt. Consideranda jam illorum sententia, qui concedunt quidem, rem Hebraeorum metricam, deperditâ linguae Hebraicae verâ pronuntiatione, expediri nostris temporibus vix posse, nihilo tamen minus contendunt, Hebraeorum poëtas in carminibus suis certis metris usos fuisse. Hanc sententiam, ut alios taceam, doctissimus ille *praelectionum de sacrâ Hebraeorum poësi auctor* tuetur, his maxime innixus rationibus: 1) Omni poësi haec veluti propria quaedam lex et necessaria conditio constituta est, a quâ si discedat, non solum

103) Guilielmi Gesenii histor. linguae Hebraicae p. 211—218.

praecipuam elegantiam desiderabit et suavitatem, sed ne nomen quidem obtinebit, nimirum ut sit numeris adstricta, atque aliquo constet metrorum genere; quare et Hebraeorum poëmata numeris adstricta metroque quopiam composita sint, necesse est; 2) erat apud Hebraeos vates in usu carminis quoddam genus, quo res aut sententias, aliquantum dissipatas, ita exprimerent, ut singuli vel versus, vel strophae literis primoribus alphabeti ordinem repraesentarent. Hic itaque prodeunt versiculi certis quibusdam notis signati, suisque limitibus circumscripti; quod in membris tantum orationis omnino solutae fieri unquam potuisse plane incredibile est; 3) iis solummodo scriptoribus, qui certâ quâdam numerorum ac pedum moderatione sunt adstricti, ea licentia conceditur, ut vocibus utantur a communi loquendi usu ac lege discedentibus, atque eas nonnunquam vel detractis quibusdam syllabis diminuant, vel adjectis augeant. Illâ vero licentiâ Hebraeorum poëtae liberrime utuntur, qui cum glossis, tum vocum anomaliis, maxime autem particulis quibusdam orationi metricae propriis, et in fine vocum identidem additis, stylum distinxerunt, et dialectum quandam poëticam sibi confecerunt."

§. CXXII.

Hisce innixus rationibus *Lowthius* satis tuto adfirmari posse opinatur, poësin Hebraicam metricam esse. At vero haud difficile videtur, memoratas viri doctissimi infringere rationes. Namque quod primo contenditur, omnem poësin necessario metricam esse debere, vix concedendum esse videtur. Neque enim poëseos natura in externâ elocutionis formâ, verum in interno sensuum, affectuum orationisque vigore conspicitur. Accedit, quod haud pauca inveniantur poëtarum scripta, quae, etsi omni metro destituta sint, haud quisquam poëmatum e numero exterminaverit. Profecto *Fenelonis Telemachum Gessneri*que *idyllia*, quamvis oratione solutâ composita sint, nemo non in poëmatum numerum

referet. Sed concedatur, omnem poësin numeris quibusdam debere adstringi: haud tamen necesse est, ut numeri illi justum aliquod metrum, pedibus versibusque congruentibus compositum, ad instar metrorum Graecorum atque Romanorum, constituant. Est aliquis numerus, sive *rhythmus liberior*, ad solutam magis accedens orationem, est et *accuratior* atque *concinnior* in oratione, quam ligatam dicimus, conspicuus. Concinniorem hunc numerum in cultiorum maxime populorum carminibus invenies; liberiori illo et incultorum populorum poëmata gaudent. Hunc si quis Hebraeorum carminibus vindicare velit, non est, quod adversemur; concinniorem autem illum numerum omni poësi, proinde et Hebraicae necessarium esse, utique negamus. 2) Recte quidem monet *Lowthius*, in iis Hebraeorum carminibus, quorum singuli vel versus, vel strophae literis primoribus alphabeti ordinem repraesentant, ultro sese nobis offerre versiculos certis notis signatos, certisque limitibus circumscriptos; verum inde nequaquam sequitur, versiculos illos justis pedibus, certo syllabarum numero atque quantitate constitutis, compositos esse. Contra versiculi illi in uno eodemque carmine, syllabarum numerum si spectes, haud parum inter se differunt, ut videre est psalmo XXV; unde conjicias, neque id carminum genus justo aliquo metro concinnatum esse. Omnis illa singulorum versuum vel stropharum secundum alphabeti ordinem dispositio nonnisi seriorum quorundam poëtarum Hebraicorum artificium est, quo tamen in carminum Hebraicorum structurâ nil immutatum fuit. 3) Hebraeorum, sicuti aliarum quoque gentium, poëtae omnino haud raro vocibus a communi loquendi usu discedentibus utuntur; quin imo eas nonnunquam vel detractis quibusdam syllabis minuunt, vel adjectis augent, adeo ut haud immerito dialectus quaedam poëtica linguae Hebraicae statuatur; neque tamen ea res documento esse potest, carmina Hebraica metricis legibus adstricta esse. Quis enim credat, Hebraeorum poëtas insolentiori illo dicendi genere metri tantum

causâ usos fuisse; quis non statuat potius, poëticam illam dialectum ex sensuum vehementiâ, cogitationum gravitate atque sublimitate, nec non euphoniae studio originem duxisse? Neque insolentius illud dicendi genus poëtarum tantum proprium est; certe et oratores, quotiescunque altius insurgunt, vel vocibus a communi loquendi usu discedentibus, vel etiam usitatorum vocabulorum formis insolentioribus utuntur. Quare ex peculiari illo, quod in carminibus Hebraicis obtinet, dicendi genere, perperam colligitur, carmina illa metricis legibus adstricta esse.

§. CXXIII.

Haud probabilioribus rationibus *Carpzovius Jonesius*que Hebraeorum poësin metricam esse contendunt. *Carpzovius* [104]) duplici potissimum argumento sententiam suam tuetur; primo, „ad naturam et constitutionem cantici pertinere, ait, ut metro quodam ligetur, et certis vicibus velut in orbem recurrat; dein, ipsam musicae indolem atque naturam *μετρικόν τι* complecti, ut, ubi poëmata sacra decantata constet, non possit metrum omne excludi.“ Primum illud argumentum jam superius excussimus; ad alterum vero quod adtinet, tenendum est, Hebraeorum rem musicam haud adeo nobis perspectam esse, ut inde carminum cantandorum rationem, utrum legibus metricis adstricta fuerint, necne, dijudicare possimus. Sed quaecunque musicae Hebraeorum fuerit conditio, id certe constat, carmina posse decantari, etsi legibus metricis haud sint adstricta. Exemplo sit illud cantandi genus, quod Italico vocabulo *Recitativo* dicimus; cui, si conjecturam facere licet, haud dissimilem fuisse Hebraeorum cantum existimaverim. — *Jonesius* ex intimâ illâ, quae inter Hebraeorum Arabumque linguam atque poësin intercedit, cognatione colligit, Hebraeorum aeque atque Arabum poëtas

104) Introductio ad libros canonicos Vet. Testamenti, P. II. p. 6.

in carminibus suis justo usos fuisse metro. At vero perquam verisimile est, neque ipsos Arabum poëtas antiquissimis temporibus metro usos fuisse; id quod et *Assafadius* in praefatione ad suos in *Lamijjat-ul-Adscham* commentarios, nec non *Dschelaluddinus* in libro *Almezhar*, cap. 49, testatur [105]). Accedit, quod in versibus metiendis et *Nunationis*, quam dicunt, ratio habeatur, quae tamen a serioris aevi grammaticis inventa et in vocabulorum pronuntiatione adhibita est [106]). Porro etsi magna omnino inter Hebraeorum Arabumque linguam atque poësin intercedat cognatio, tamen in nonnullis etiam inter se differunt; quod in rebus cognatis, neque tamen iisdem, semper fieri assolet. Notissimum est, Arabum poëtas in carminibus suis homoeoteleuta adhibere, quae tamen ab Hebraeorum carminibus vel omnino desunt, vel, si adfuerint, casu potius, quam consilio irrepsisse videntur. Quare perperam faciunt, qui ex metricâ carminum Arabicorum structurâ colligunt, Hebraeorum quoque poësin metricam fuisse.

§. CXXIV.

Superest, ut illorum perpendamus sententiam, qui Hebraeorum carmina, justorum metrorum vinculis destituta, liberiori aliquo numero, sive rhythmo ferri existimant. Quae sententia et Judaeorum doctoribus quam plurimis, et nostrae aetatis viris eruditis maxime probatur. Neque id immerito; quidquid enim coneris, aut quocunque modo rem adgrediaris, vix aliquod justi metri genus in Hebraeorum poësi deprehendes; contra vero quocunque in carminibus Hebraicis oculum convertas, ultro liberior

---

105) Specimen historiae Arabum auctore Ed. Pocockio, ex edit. Jos. White, p. 166.

106) Vide Eichhornii in Jonesii commentarios de poësi Asiaticâ observationes, p. 61. Jahnii Grammat. Arab. praefat. p. XVI, XVII; cap. I, p. 11.

aliquis rhythmus circumspicienti sese offeret. Qui rhythmus *parallelismi poëtici* nomine insignitur, et in certâ quâdam membrorum orationis poëticae proportione conspicitur. Ea proportio cum vel in cogitationibus, vel in verbis locum habeat, in perscrutandâ parallelismi poëtici indole et cogitationum et verborum proportio consideranda erit. Quod ad cogitationum proportionem adtinet, ea pro diversâ cogitationum ratione diversa est. Junguntur enim ab Hebraeorum poëtis vel sententiae, quae eundem sensum, mutatis tantum verbis, fundunt, vel quae opposita continent, vel quae neque ejusdem rei iteratione, neque diversorum oppositione, sed solâ constructionis formâ invicem respondent. Primum illud parallelismi genus *synonymum*, alterum *antitheticum*, tertium denique *syntheticum*, vel etiam *syntacticum* dicitur.

§. CXXV.

Parallelismi synonymi diversae species, pro diverso membrorum, sive hemistichiorum numero, diversâque congruentiae ratione. Membrorum numerum si spectes, *duobus* ut plurimum *membris parallelismus synonymus* absolvitur; exemplo sint psalmi XXXVIII versiculi tres priores:

יהוה אל בקצפך תוכיחני
ובחמתך תיסרני:
כי חציך נחתו בי
ותנחת עלי ידך:
אין מתם בבשרי מפני זעמך
אין שלום בעצמי מפני חטאתי:

Jova, ne in irâ tuâ me corripias,
Neve in excandescentiâ tuâ me castiges;
Namque sagittae tuae demissae sunt in me,
Descenditque super me manus tua.
Nil sani in carne meâ propter indignationem tuam,
Nil integri in ossibus meis propter peccatum meum.

Haud raro, maxime in prophetarum scriptis, *tribus, quatuorve, imo pluribus* etiam *membris synonymus* continetur *parallelismus.* Neque tamen in trium quatuorve membrorum parallelismo omnia membra constanter sibi respondent. Ubi tria adsunt membra, plerumque duo tantum, vel priora, vel posteriora, inter se congruunt; ubi quatuor, vel primum membrum secundo, tertium quarto, vel primum tertio, secundum quarto respondet. Exemplum tricoli parallelismi obviam est in psalmi LXXIX versibus 1, 8, 13:

1) אלהים באו גוים בנחלתך
טמאו את היכל קדשך
שמו את ירושלם לעיים:

8) אל תזכר לנו עונת ראשנים
מהר יקדמונו רחמיך
כי דלונו מאד:

13) ואנחנו עמך וצאן מרעיתך
נודה לך לעולם
לדור ודר נספר תהלתך:

1) Deus, irruperunt gentes in hereditatem tuam,
Polluerunt templum sanctitatis tuae,
Redegerunt Hierosolyma in rudera.

8) Ne memineris peccatorum nostrorum antiquorum,
Festinanter contingat nobis misericordia tua;
Nam admodum adflicti sumus.

13) Nos autem populus tuus, et grex pastûs tui,
Celebrabimus te in aeternum,
Per omne aevum praedicabimus gloriam tuam.

Locus hicce triplicem tricoli parallelismi synonymi exhibet speciem. Primi versûs membra omnia synonyma sunt; octavi duo priora tantum; decimi tertii contra duo posteriora membra inter se congruunt. Tetracoli parallelismi synonymi specimen habes in psalmo XXXIX, 13:

שמעה תפלתי יהוה ושועתי האזינה
אל דמעתי אל תחרש
כי גר אנכי עמך
תושב ככל אבותי׃

Audi preces meas, Jova, clamorique meo ausculta;
Ad lacrymas meas ne sileas;
Nam peregrinus ego apud te,
Inquilinus, sicut omnes majores mei;

similiter in psalmo LV, 22:

חלקו מחמאת פיו
וקרב לבו
רכו דבריו משמן
והמה פתחות׃

Laevius flore lactis [107]) os ejus (amici perfidi),
Sed bellum cor ejus;
Molliora ipsius verba oleo,
Attamen gladii stricti.

In priori exemplo membrum primum secundo, tertium quarto, in altero vero specimine primum tertio, secundum quarto respondet. In quinque aut plurium membrorum parallelismo minus sibi constant poëtae in disponendis membris consonis; quare difficile videtur, certas ejus rei leges statuere.

§. CXXVII.

Quod si ipsam membrorum parallelorum congruentiam spectes, alia ex asse, alia ex parte tantum invicem respondere deprehendes. Exemplum parallelismi ex asse congruentis obviam est in psalmo XXVII, cujus primus tertiusque versus in hunc modum audiunt:

---

107) Lectio vulgata habet מַחְמָאֹת *lactea* scil. *verba;* sed parallelismus מֵחֶמְאוֹת *prae flore lactis* legendum suadet, quam lectionem et Chaldaeus, Symmachus nec non codices duo exhibent.

1) יהוה אורי וישעי ממי אירא
יהוה מעוז חיי ממי אפחד:
3) אם תחנה עלי מחנה לא יירא לבי
אם תקום עלי מלחמה בזאת אני בוטח:

1) Jova lux et salus mea, quem metuam?
Jova praesidium vitae meae, quem timeam?
3) Si castra contra me ponat exercitus, haud trepidabit cor meum,
Si bellum contra me exsurgat, in hoc ipso confidam.

In ejusdem psalmi versu secundo exemplum habes parallelismi ex parte tantum congruentis:

בקרב עלי מרעים לאכל את בשרי
צרי ואיבי לי המה כשלו ונפלו:

Ubi adpropinquant contra me improbi ad devorandam carnem meam,
Hostes et inimici mei, ipsi impingunt et cadunt;

in quo versiculo priores tantum utriusque hemistichii sententiae inter se conveniunt. Ceterum notandum, parallelismum synonymum frequentissime in *psalmis*, *Jobi libro*, nec non *Jeremiae threnis* reperiri.

§. CXXVIII.

Alterum parallelismi genus *antitheticum* est, quod, sicuti jam monitum fuit, opposita componit, quo magis eâ oppositione sententiae cujusdam veritas illustretur atque comprobetur, secundum notissimum illud: *opposita juxta se posita magis elucescunt.* Parallelismus antitheticus tantum non semper duobus absolvitur membris in hunc modum:

מאזני מרמה תועבת יהוה
ואבן שלמה רצונו:
בא זדון ויבא קלון
ואת צנועים חכמה:
תמת ישרים תנחם
וסלף בגדים ישדם:

לא יועיל הון ביום עברה
וצדקה תציל ממות׃

Trutinam fraudulentam abominatur Jova,
Sed pondus perfectum adprobat.
Veniente fastu venit ignominia;
Sed penes modestos sapientia.
Integritas proborum ducet eos;
Sed perversitas perfidorum ipsos perdet.
Haud prodest opulentia die irae;
Sed justitia redimit a morte. (Proverb. XI, 1—4.)

Interdum antitheta illa uno eodemque membro locum habent, ut videre est *Jesaiae* capite LXV, v. 13:

הנה עבדי יאכלו ואתם תרעבו
הנה עבדי ישתו ואתם תצמאו
הנה עבדי ישמחו ואתם תבשו׃

Ecce servi mei edent, sed vos esurietis;
Ecce servi mei bibent, sed vos sitietis;
Ecce servi mei laetabuntur, sed vos pudore adficiemini.

Parallelismi antithetici, ut recte *Lowthius* monet, minus frequens in sublimiori poësi usus, frequentissimus vero in adagiis dictisque acutis; quare praeter proverbiorum librum rarissime offenditur.

§. CXXVIII.

Tertium parallelismi genus *syntheticum* vel *syntacticum* est; quod neque ejusdem rei iteratione, neque diversorum oppositione, sed solâ constructionis formâ conspicitur. Hujus generis quam plurimae sunt species, sive sententiarum dispositionem, sive membrorum numerum spectes. Ad membrorum numerum quod adtinet, parallelismus syntheticus duobus, tribus, quatuor pluribusque continetur membris, quae nonnunquam aegre discernuntur, cum id parallelismi genus saepenumero quam proxime ad solutam accedat orationem. Longum esset, cujusvis speciei

exemplum in medium proferre; sufficiat unum alterumve depromsisse. Dicoli parallelismi synthetici specimen obviam est *Proverb.* cap. XXXI, 10, sequ.:

אשת חיל מי ימצא
ורחק מפנינים מכרה:
בטח בה לב בעלה
ושלל לא יחסר:
גמלתהו טוב ולא רע
כל ימי חייה:
דרשה צמר ופשתים
ותעש בחפץ כפיה:

Uxorem probam quis inveniat?
Carius pretium ejus quam coralliorum;
Fidit ei animus mariti,
Neque destituitur lucro;
Confert in eum bonum, non malum,
Per omnes vitae suae dies;
Conquirit lanam linumque,
Et laborat cum voluptate manuum suarûm etc.

Exemplum parallelismi synthetici plurium membrorum habes *Proverb.* cap. XXX, 4, in hunc modum:

מי עלה שמים וירד
מי אסף רוח בחפניו
מי צרר מים בשמלה
מי הקים כל אפסי ארץ
מה שמו ומה שם בנו כי תדע:

Quis adscendit in coelum descenditque,
Quis comprehendit ventum pugnis suis,
Quis involvit aquas vestimento,
Quis constituit omnes terminos terrae,
Quodnam nomen ei? quodnam nomen filio ejus? siquidem nosti.

Parallelismo synthetico prophetae potissimum utuntur, idque tantâ haud raro libertate, ut ligati sermonis rhythmus in solutam orationem degeneret.

§. CXXIX.

Hactenus de *cogitationum parallelismo* actum fuit; restat, ut de *verborum* quoque *parallelismo* pauca quaedam moneamus. *Verborum duplex* statui potest *parallelismus*, *perfectus alter*, *alter imperfectus*. Perfectum verborum parallelismum eum dicimus, cujus membra pari vocabulorum numero constant; contra imperfectum, cujus membra disparem vocabulorum numerum exhibent. Perfectum verborum parallelismum saepius cum synonymo antitheticoque parallelismo, rarius cum synthetico conjunctum deprehendes. Exemplum perfecti verborum parallelismi cum synonymo parallelismo conjuncti obviam est *Jobi* cap. XL, 25:

תמשך לויתן בחכה
ובחבל תשקיע לשונו:
התשים אגמן באפו
ובחוח תקב לחיו:
היכרת ברית עמך
תקחנו לעבד עולם:

Num trahes Leviathanem hamo,
Et in funem demerges linguam ejus?
Num aptabis juncum naribus ejus,
Et annulo ferreo perforabis maxillam ejus?
Num feriet foedus tecum,
Ut accipias eum in servitium perpetuum etc.

Perfecti verborum parallelismi cum antithetico parallelismo conjuncti specimen videre est *Proverb.* cap. X, 1, 5, 7:

בן חכם ישמח אב
ובן כסיל תוגת אמו:
אגר בקיץ בן משכיל
נרדם בקציר בן מביש:

זכר צדיק לברכה

ושם רשעים ירקב:

Filius sapiens exhilarat patrem,
Sed filius stultus tristitia matris suae.
Qui colligit aestate, prudens est,
Sed qui stertit in messe, ignominiam contrahit.
Memoria justi benedicta,
Sed nomen improborum putrescit.

Cum synthetico denique parallelismo perfectum verborum parallelismum conjunctum habes psalmo XIX, 8, 9, 10:

תורת יהוה תמימה משיבת נפש
עדות יהוה נאמנה מחכימת פתי:
פקודי יהוה ישרים משמחי לב
מצות יהוה ברה מאירת עינים:
יראת יהוה טהורה עומדת לעד
משפטי יהוה אמת צדקו יחדו:

Lex Jovae est perfecta, reficiens animum,
Decretum Jovae verum, sapientem reddens imperitum.
Mandata Jovae sunt recta, exhilarantia animum,
Praeceptum Jovae sanctum, illustrans oculos.
Timor Jovae sincerus est, constans in aeternum,
Judicia Jovae vera justaque pariter.

Imperfectus verborum parallelismus frequentissime occurrit; neque tamen multum inter se differunt membra, maxime uno duobusve verbis. Rarius evenit, ut trium vel quatuor vocabulorum discrimen inter membra parallela intercedat, cujus rei exemplum obviam est psalmo XXXII, 2:

אשרי אדם לא יחשב יהוה לו עון
ואין ברוחו רמיה:

Beatus homo, cui non imputat Jova peccatum,
Jn cujus animo nullus dolus:

§. CXXX.

Praeter membrorum sive hemistichiorum parallelismum et *versuum* aliquis *parallelismus* in Hebraeorum carminibus statui potest. Sicut enim singulae versûs partes, sive membra, certâ quâdam proportione ad se invicem referuntur, ita et integri versus non temere, sed ad symmetriae leges inter se conjuncti videntur; quam versuum ad symmetriae leges conjunctionem Graeco vocabulo *stropham* dicunt. Neque tamen Hebraeorum strophae ad normam stropharum, quales Graecorum, Romanorum recentiorumque poëtarum carminibus conspiciuntur, referendae sunt. Sicuti in versibus componendis liberius feruntur Hebraeorum poëtae, et modo duobus, modo tribus, quatuor pluribusque membris singulos versus absolvunt, ita et in strophis construendis magnâ utuntur libertate, neque certo alicui versuum numero inhaerent. In stropharum structurâ eam in universum legem observatam invenies, quae in versuum compositione locum habet. In his singula membra, sive sint synonyma, sive antithetica, sive synthetica, in orbem quendam recurrunt; haud aliter strophae versibus vel synonymis, vel antitheticis, vel syntheticis in orbem recurrentibus constituuntur. Sed exemplo proposito clarior quam descriptione res evadet. Videamus igitur, quâ ratione duo priores psalmi in strophas possint distribui. Psalmus primus sex absolvitur versibus, quorum tres priores felicem viri probi sortem, posteriores vero tres improbi miseram conditionem depingunt. Quare merito in duas strophas, ternos versus comprehendentes, psalmus dividitur. Psalmus secundus duodecim versibus absolvitur: in prioribus tribus populi regesque exteri contra Israëlitarum regem insurgentes inducuntur; in sequentibus 4, 5, 6, monstratur, irrita adversariorum illorum conanima esse, Israëlitarum enim regem a Deo ipso esse constitutum; porro versibus 7, 8, 9, Jovae decretum profertur, quo Israëlitarum regi imperium in omnes populos promittitur; denique versibus 10, 11, 12, rebelles

illi reges monentur, ab incepto desistant, nisi ipsi perniciem contrahere sibi velint. Vides, psalmum hunc commodissime in quatuor posse distingui strophas, quarum quaevis tribus versibus efficitur. In hunc modum quam plurima Hebraeorum carmina in strophas suas resolvi possunt. Accedit, quod ipsi interdum poëtae certâ aliquâ notâ stropharum vel initium vel finem designent. In psalmis haud raro notissimum illud סֶלָה stropharum finem indicat [108]); sicuti psalmo tertio, quarto aliisque; interdum

---

108) Quod dicimus, vocabulo סֶלָה haud raro stropharum finem indicari, non ita intelligendum, ac si vocabulum illud nonnisi ad discernendas strophas adhibitum fuerit. Quinimo vocabulo illi peculiaris sua fuit significatio, non ad stropharum pertinens discrimen; de quâ tamen viri docti mirum in modum dissentiunt. Omissis antiquiorum interpretamentis, sufficiat recentiorum, *Rosenmülleri, Wineri, Ewaldi*, nec non *Gesenii* sententias in medium protulisse. Ex *Rosenmülleri* sententiâ, quam in *prolegomenis in psalmos*, edit. II, p. LXIX, nec non in *scholiis ad Habac.* III, 3, p. 434, exposuit, vocabulo סֶלָה *intermissio cantûs, pausa*, quâ, cantoribus silentibus, sola organa musica audiebantur, significatur, eaque significatio a verbo Syriaco ܫܠܐ, *quievit, siluit*, derivatur. Cui tamen sententiae opponi potest, Syriaco ܫܠܐ non סָלָה, quod idem cum Syr. ܣܠܐ, *sustulit, elevavit, sprevit*, verum שָׁלָה, *quievit, tranquillus fuit*, respondere, neque probari posse, vocabulo סֶלָה significationem τοῦ שָׁלָה convenire. *Winerus* in *Lexico Hebraico* vocabulum סֶלָה ad radicem סָלָה *sustulit*, refert; unde nomen segolatum סֶלֶה, et eliso ה radicali, additoque ה paragogico סֶלָה *elevatio vocis*, quam sententiam et *de Wette* in *Commentario in psalmos*, edit. II, p. 40, tuetur. Sed non videmus, quid in vocabulo illo sibi velit ה paragogicum, quod nominibus additum vel motum, sive directionem in locum aliquem notat, vel pronominis demonstrativi vice fungitur. Quodsi quis paragogico illi ה significationem *exhortativam* vindicare velit, quam, ubi *verbis* additur, omnino adsciscit, ejus rei exemplum in *nominibus* extare, vix crediderim. Eandem

unius ejusdemque versûs repetitione stropharum discrimen notatur, quod in psalmo quadragesimo secundo et tertio obtinet.

---

fere significationem et *Ewaldus* in *Commentatione de Hebraeorum poësi*, p. 179, vocabulo סֶלָה tribuit, nisi quod a radice סָלַל illud derivet, unde nomen סַל, et cum ה paragogico סֶלָה *in altum*. Verum enim vero si hanc admittas derivationem, non סֶלָה, sed סַלָּה cum dagesch forti, et in pausâ סָלָּה scribendum erat; vel, si dagesch omittebatur, vocalis praecedens non corripienda, sed protrahenda erat. *Gesenius* in *Thesauro linguae Hebraeae* vocabulum סֶלָה *imperativum* verbi סָלָה *sustulit*, addito ה paragogico et jussivo, existimat. Namque vulgaris verbi illius imperativus סְלֵה, addito ה paragogico, transit in סָלְה, quod in pausâ סֶלָה audit, sicuti לְחִי, שְׁכֶם in pausâ לֶחִי, שֶׁכֶם pronuntiantur. Quare סֶלָה idem atque *tolle*. Sed quaeritur, quid sit tollendum? Dubius haerere videtur doctiss. vir, utrum *vox tollenda*, sive *inhibenda*, an *fidium cantus tollendus*, an denique yerbo סֶלָה potestas cognati שָׁלָה *cessavit*, *destitit*, tribuenda sit, quâ admissâ סֶלָה *pausae signum* esset. — Quodsi in tanto tantorum virorum dissensu nostram quoque sententiam proferre licet, nulli dubitamus, quoad grammaticam vocabuli formam in *Gesenii* transire partes; quod vero ad significationem adtinet, *Ewaldo* adsentimus, ex cujus sententiâ verbis הִגָּיוֹן סֶלָה indicatur, *fidium cantum tollendum*, sive *intendendum*, *vocis contra cantum intermittendum esse*. Cui sententiae et *interpres Alexandrinus* suffragari videtur, qui Hebraicum סֶלָה constanter Graeco vocabulo *διάψαλμα* exprimit. Etsi vero de Graeci vocabuli haud minor, quam de Hebraici significatione virorum doctorum sit dissensio, tamen, si etymon respicias, vix aliud exprimere videtur, quam *fidium cantum*, *vocis cantum interpellantem*, quem sermone Germanico *Zwischenspiel* dicimus. — Plura de difficillimi vocabuli significatione si quis desideret, adeat, ut ceteros taceamus, *Rosenmülleri Scholia in psalmos*, edit. II, tom. I, p. LXVII —LXXX; *de Wette Commentar. in psalmos*, edit. II, p. 39—41; *Wolffii Commentar. in prophetam Habacuc*, p. 199—204; *Gesenii Thesaurum linguae Hebr.* tom. II, p. 955—957; *Ewaldi Commentationem de Hebraeorum poësi*, p. 178—180.

Ambo psalmi procul dubio in unum carmen contrahendi, quod tribus absolvitur strophis, accurate inter se distinctis unius ejusdemque versûs repetitione in huncce modum:

מה תשתוחחי נפשי ומה תהמי עלי
הוחילי לאלהים כי עוד אודנו
ישועת פני ואלהי:

Quare dejecta es anima mea, et infremis in me?
Spera in Deum, quem adhuc celebrabo,
Salutem meam, Deumque meum.

In carminibus illis, quorum versus literis primoribus alphabeti ordinem repraesentant, stropharum discrimen in hunc modum notatur, ut vel omnes, quae ad eandem stropham pertinent, versus eâdem alphabeti literâ incipiant, vel saltem primi cujusque strophae versûs litera initialis alphabeti ordinem sequatur [109].

§. CXXXI.

In hoc et integrorum versuum, et singulorum versûs membrorum parallelismo omnem metricae Hebraicae naturam positam existimamus; quae praeterea in externâ carminum Hebraicorum formâ cernuntur artificia, et pauca sunt, et parvi momenti. In his *paronomasia verborumque lusus*, *homoeoteleuta*, nec non *alphabetica versuum atque stropharum dispositio*. *Paronomasiâ*, quae Latinis *agnominatio*, haud parum delectantur Hebraeorum poëtae. Offenditur figura haec saepissime in dictis proverbialibus; sed et alibi, maxime in prophetarum scriptis, habetur. Exempla obviam sunt in Jesaiae capite XXIV, quod paronomasiis verborumque lusibus refertum est. In his הבוק תבוק הארץ והבוז תבוז, *evacuata est terra atque direpta* (v. 3.), אבלה נבלה

109) De parallelismo poëtico egregie disputarunt Lowthius in praelectione XIX de sacrâ Hebraeor. poësi; de Wette in commentarii in psalmos introductione, cap. VII; nec non Ewaldus in commentatione de Hebraeor. poësi, cap. III, p. 52—164.

הארץ, *luget, marcet terra* (v. 4.). Haud raro et in psalmis paronomasiae occurrunt; sic psalmo XVIII, 8, ותגעש ותרעש הארץ, *commota atque concussa fuit terra;* ps. XL, 4, יראו רבים וייראו, *vident multi atque reverentur.* Interdum Hebraeorum poëtae vel insolentioribus vocabulorum formis utuntur ad provocandam paronomasiam; exemplum habes in psalmi XXXII versu I, אשרי נשוי פשע כסוי חטאה, *beatus, cui condonata delicta, tecta peccata;* quo in loco נשוי pro נשוא adhibitum eo consilio, ut sequentis כסוי sonum referret. Ad paronomasiam proxime accedit *verborum lusus;* differt tamen utraque figura in eo, quod in paronomasiâ nonnisi soni similitudo, in verborum vero lusu similium, vel etiam eorundem vocabulorum diversa significatio spectetur. Vocabula similia, diversae tamen significationis conjuncta habentur Jesaiae capite XIII, 6, כשד משדי יבוא, *sicut vastatio ab omnipotente veniet (dies Jovae);* LVII, 6, בחלקי נחל חלקך, *in calvis vallibus portio tua.* Eadem vocabula, diversâ tamen significatione, componuntur Eccles. VII, 6, כי כקול הסירים תחת הסיר כן שחק הכסיל, *nam sicuti crepitus spinarum sub ollâ, ita risus stulti;* quo in loco vocabulum סיר primo *spinae*, dein *ollae* significatione usurpatur.

§. CXXXII.

Versus homoeoteleuti etsi rarius in Hebraeorum carminibus inveniantur, haud tamen omnino desunt. Exemplum habes 1 Mos. IV, 23, in *Lamechi* ad uxores suas oratione:

עדה וצלה שמען קולי
נשי למך האזנה אמרתי
כי איש הרגתי לפצעי
וילד לחברתי:

Adah et *Zillah*, audite vocem meam,
Uxores *Lamechi*, aures praebete dictis meis:
Namque virum occidi in vulnus meum,
Juvenemque in vibicem meam etc.

nec non 2 Mos. XV, 2, in epinicio illo, quo mirabilis Hebraeorum per mare rubrum transitus celebratur:

עזי וזמרת יה
ויהי לי לישועה
זה אלי ואנוהו
אלהי אבי וארממנהו:

Gloria mea et canticum Jova,
Ipse mihi fuit saluti:
Hic Deus meus, quem celebrabo,
Deus patris mei, quem laudibus efferam.

Quaeritur, utrum *carmina homoeoteleuta* Hebraeorum poëtis usitata fuerint, an quae passim obviam sunt homoeoteleuta casui potius, quam poëtae consilio tribuenda sint? Si carmina homoeoteleuta Hebraeorum poëtis usitata fuissent, fieri haud potuisset, quin unum saltem alterumve carmen versibus homoeoteleutis conflatum ad nostra superaret tempora. Jam vero inter carmina Hebraica, quotquot supersunt, vix unum invenies, in quo versus homoeoteleuti constanter certâque lege recurrant. Haud quidem nos fugit, *threnorum* capite quinto quam plurimos versus syllabâ נו vel ו terminari; adeo, ut carmen hocce homoeoteleutis adnumerari posse videatur. Verum neque in hoc carmine homoeoteleuta constanter recurrunt, imo versus finem, inde a versu decimo octavo ad versum secundum et vigesimum usque omnino desiderantur; dein cum popularium suorum nomine, adeoque plurali numero poëta loquatur, haud potuit fieri, quin pronomen suffixum primae personae pluralis numeri נו, verbique terminatio pluralis ו saepissime recurreret. Quare de *homoeoteleutis Hebraeorum versibus* ita statuendum videtur, eos vel fortuito fusos fuisse, id quod in simili pronominum suffixorum verborumque, ubi flectuntur, terminatione facillime evenire potuit; vel si nonnunquam ex proposito adhibiti fuerint, id tamen artificii poëtici genus parvi ab Hebraeorum poëtis pensum fuisse, cum rarissime tantum illo sint usi.

§. CXXXIII.

Quod denique ad illa adtinet carmina, quorum *singuli vel versus, vel strophae literis primoribus alphabeti ordinem repraesentant*, id artificium ab antiquiori meliorique Hebraeorum poësi alienum, et nonnisi a serioris aevi poëtis adhibitum fuisse videtur. Ad id carminum genus pertinent *psalmi* 25, 34, 37, 111, 112, 119, 145, *Jeremiae threni*, excepto capite ultimo, nec non *Proverb. cap.* XXXI, inde a versu decimo ad finem usque. Quaesivêre viri docti, quibus ex causis artificium illud carminum alphabeticorum profectum fuerit? Ex *Lowthii* sententiâ [110]) in *memoriae subsidium* adhibitum fuit iis in locis, in quibus sententiae quaedam, ipsâ rerum et argumenti necessitudine non multum inter se connexae, colligerentur. *Lowthii* sententiae accedit et *J. D. Michaelis*, qui in notis ad citatum locum haec addit: „lamenta sua ad literarum ordinem digessit *Jeremias*, memoriae praeficarum, lamenta ediscentium, serviens. Ac forte prima hujus artificii origo in lamentis; unde paulatim ad alia carmina, a pueris ac plebe ediscenda, ut illis pro sententiis uterentur, translatum. Neque ars, suapte naturâ exilis, in tanto Hebraeis honore fuisset, ut primarii etiam poëtae illam suis carminibus haud indignam censerent, nisi necessitas eam primum in threnis vulgasset.“ At vero rectius fortasse statuas, *alphabeticam* illam versuum *dispositionem* nil esse nisi ineptum seriorum poëtarum lusum, qui, cum priscae poëseos dignitatem haud possent consequi, novo aliquo artificio carminum suorum tenuitatem compensare studebant. Certe si carmina illa diligentius relegas, fateare necesse est, ea neque cogitationum profunditate, neque adfectuum vigore, neque dictionis elegantiâ sese commendare, multumque ab antiquioribus Hebraeorum carminibus superari.

---

110) De sacrâ Hebraeor. poësi, p. 451, 452, editionis a J. D. Michaelis adornatae.

Cap. II.

De externâ carminum Arabicorum formâ.

§. CXXXIV.

Poësin Arabicam justorum metrorum legibus adstrictam esse, nemo est, literarum Arabicarum peritus, qui ignoret. Neque tamen nascentis artis prima tentamina metrica fuisse, verum liberiori aliquo numero, ad instar carminum Hebraicorum, fluxisse, jam superius [111]) demonstratum fuit. Quo tempore Arabum poëtae carmina sua ad metricas leges exigere coeperint, haud facile definias. Quod si elegantissimum illud carmen, quod in *Schultensii Monumentis vetustioribus Arabiae*, p. 57 — 59, *Abu Adinae* nomine exhibetur, re verâ ad illum auctorem referendum sit, quae est viri clariss. *de Sacy* sententia [112]), jam exeunte seculo post Christum n. quinto artis metricae leges Arabum poëtis cognitae fuere; siquidem carmen illud ad leges metri بسيط concinnatum videmus.

§. CXXXV.

Quaesiveris, utrum Arabes ipsi metrorum suorum fuerint inventores, an artificiosam illam carminum structuram ab alio quodam populo, *Graecis* fortasse, vel *Persis*, didicerint? Artem metricam a *Graecis* ad Arabes transiisse, haud videtur verisimile. Namque illo tempore, quo metris uti coepere Arabes, Graecorum monimenta literaria nequaquam cognita adeo habebant, ut inde leges metricas eos hausisse carminibusque suis aptasse existimes. Accedit, quod inter Graecorum Arabumque metra vix ea intercedat similitudo, quae merito exspectanda esset, si Arabes a Graecis rem metricam mutuati essent. Namque ut reliqua taceamus, quibus carminum Graecorum Arabicorumque metrica stru-

---

111) Partis I capite II, §. XV, 3.

112) Mémoires de l'Académie royale des inscript. t. L, p. 371.

ctura differt, unum id memorasse liceat, Arabum poëtas mirum in modum homoeoteleutis delectari, quae tamen a Graecorum carminibus alienissima sunt. At meliori forsitan jure a *Persis* ad Arabes rem metricam translatam fuisse statuas? Neque id concedendum videtur. Nulla quidem antiquioris illius poëseos Persicae supersunt monimenta, quorum metricâ ratione quaestio proposita tuto possit dijudicari; verum si ex recentiorum Persarum ingenio de antiquiorum indole statuere licet, haud facile a Persis Arabum metra derivari poterunt; quippe quae singulari quâdam dignitate atque gravitate se commendant, quae magis Arabum, quam Persarum ingenio convenire videtur. Contra nullum dubium, quin ab Arabibus cum magnâ linguae suae parte et metra ipsorum seriori tempore ad Persas transierint. Quare merito statuas, Arabes ipsos metrorum suorum fuisse inventores; quod et metrorum illorum indoles arguit, quae Arabum ingenio adeo congruit, ut nonnisi ex illo originem trahere potuerit.

§. CXXXVI.

Etsi Arabum rem metricam haud pauci auctores fusius accuratiusque explicaverint [113]), tamen instituti nostri ratio requirere videtur, ut eandem materiam breviter perstringamus. Quae de syllabarum quantitate praecipiuntur, simplicissima naturaeque

113) In exponendâ Arabum re metricâ strenuam prae ceteris operam navarunt: *Clericus* in Scientiâ metricâ et rhythmicâ, seu Tractatu de prosodiâ Arabicâ, ex auctoribus probatissimis erutâ, Oxonii, 1661; *Ewald* de metris carminum Arabicorum libri duo cum appendice emendationum in varios poëtas, Brunsvigae, 1825; idem auctor in Grammaticae Arabicae vol. II, p. 323—343; *Freytag* in libro, qui inscribitur: Darstellung der Arabischen Verskunst mit sechs Anhängen etc. Bonn, 1830; *de Sacy* in alterâ Grammaticae Arabicae editione, cujus tomo posteriori additus est tractatus de Arabum prosodiâ et re metricâ, p. 615—661.

convenientissima sunt: *brevis nempe habetur syllaba, quae in vocalem nudam desinit; longa contra, quae consonante, vel literâ quiescente terminatur.* Quare in vocabulo قَتَلَ tres syllabae breves, contra in vocibus أَقْتُلْ, قَوْلِي binae syllabae longae conspiciuntur. Notandum tamen, literas quiescentes in scribendo haud raro omitti, neque tamen eapropter syllabam corripi; sic هذا pro هاذا, ذلك pro ذالك, اله pro الاه, الرحمن pro الرحمان, ثلث pro ثلاث etc. scribitur, quorum vocabulorum metrica ratio omissâ literâ quiescente ا nequaquam immutatur. Interdum tamen poëtae, pro eâ, quam sibi in omnibus vindicant, licentiâ, primitivam syllabarum quantitatem vel additis literis augent, vel subtractis minuunt. Sic pro ينبع legitur ينباع in *Antarae Moallakâ* v. 33, additâ literâ ا, auctâque eam propter causam syllabae quantitate; quem ad locum *Zuzenius* notat: اراد ينبع فاشبع الفتحة لاقامة الوزن فتولدت من اشباعها الف i. e. voluit dicere ينبع, sed protraxit Fatham ad metri constitutionem, quâ ex protractione Alef enatum est; sic حمالق pro حماليق (*de Sacy Chrestom. Arab.* t. II, p. 62, edit. II.) subtractâ literâ ى, syllabâque correptâ. In eundem modum et *Teschdid* vel additur, vel omittitur, ad augendam vel minuendam syllabarum quantitatem.

§. CXXXVII.

Pedum diversa genera; sunt enim vel *dissyllabi*, vel *trisyllabi*, vel *quadrisyllabi*. Nomen sortiuntur a verbo فعل, in eas formas inflexo, quae singulorum pedum naturam referunt.

Dissyllabis adnumerandi:

Pyrrhichius ⏑⏑, Arabibus فَعَ fă̆ă̆ dictus, abjectâ tertiâ radicali literâ verbi فَعَلَ;

Iambus ⏑–, فَعَلْ fäāl;

Trochaeus -⏑ فَعْلُ fālŭ;

Spondeus -- فَعْلُنْ fālān.

Trisyllabi sequentes:

Anapaestus ⏑⏑- فَعِلُنْ făĕlōn;

Amphibrachys ⏑-⏑ فَعُولُ făūlŭ;

Bacchius ⏑-- فَعُولُنْ făūlōn;

Amphimacer -⏑- فَاعِلُنْ fāĕlōn;

Antibacchius --⏑ مَفْعُولُ māfūlŭ;

Molossus --- مَفْعُولُنْ māfūlōn.

Quadrisyllabis denique accensendi:

Paeon secundus ⏑-⏑⏑ مُفَاعِلُ mŏfāĕlŭ;

Paeon tertius ⏑⏑-⏑ فَعِلَاتُ făĕlātŭ;

Paeon quartus ⏑⏑⏑- فَعِلَتُنْ făĕlătōn;

Epitritus primus ⏑--- مَفَاعِيلُنْ măfāīlōn;

Epitritus secundus -⏑-- فَاعِلَاتُنْ fāĕlātōn;

Epitritus tertius --⏑- مُسْتَفْعِلُنْ mōstāfĕlōn;

Epitritus quartus ---⏑ مَفْعُولَاتُ māfūlātŭ;

Diiambus ⏑-⏑- مَفَاعِلُنْ măfāĕlōn;

Dichoreus -⏑-⏑ فَاعِلَاتُ fāĕlātŭ;

Antispastus ⏑--⏑ مَفَاعِيلُ măfāīlŭ;

Choriambus -⏑⏑- مُفْتَعِلُنْ mōftăĕlōn;

Ionicus a majori --⏑⏑ مُسْتَفْعِلُ mōstāfĕlŭ;

Ionicus a minori ⏑⏑-- فَعَلَاتُنْ făălātōn.

Memoratis hisce pedibus Arabum metrici quinque, imo sex syllabarum pedes addunt, ex bisyllabis trisyllabisque compositos; in his مُفَاعَلَاتُنْ mŏfăălătōn, ex iambo et anapaesto conflatus; مُتَفَاعِلُنْ mŏtăfăĕlōn, ex anapaesto et iambo etc.

§. CXXXVIII.

Hi fere pedes ab Arabum metricis recensentur, quorum auctoritatem et recentiorum plerique, *Jonesius*, *Tychsenius*, *Freytagius* et *de Sacy* secuti sunt. In diversas tamen partes discessit *Ewaldus* [114]), contendens, in Arabum metris nonnisi sex pedes offendi: *iambum*, *amphibrachum*, *anapaestum*, *diiambum*, *ionicum a minori* et *choriambum*. Sed fatemur, argumenta, quibus vir sagacissimus sententiam suam tuetur, nobis minus satis fecisse. Etenim contendit, Arabibus non licere nisi a brevius et festinantius pronunciatis ad syllabas, quae incitatam orationem inhibeant, longas, progredi, ut قلم fălám, قتلت kătălát; esse ipsis unum iambum, et qui ab hac stirpe velut rami enascantur, numeros; exulare prorsus trochaeum et dactylum." Quod quâ ratione statui possit, non videmus. Namque si linguae Arabicae structuram respicias, ea certe legi illi minime suffragatur. Namque vix minor eorum vocabulorum numerus, quae a syllabis longis ad breves, quam illorum, quae a brevibus ad longas procedunt. Exemplo sint قَاتَلَ kātălă, قَمْطَرَ kāmtără, قَالَ kālă, سَارَ sără, quorum vocabulorum priora duo dactylum, posteriora trochaeum referunt. Accedit, quod omnino et trochaicis metris Arabum poëtae utantur, quibus inter cetera metrum رمل, *Ramal*,

---

114) De metris carminum Arabicorum, p. 20—24.

adnumerandum, quod ex epitrito secundo -⏑--, sexies repetito, componitur, cujus locum haud raro et dichoreus -⏑-⏑ occupat. Quinimo ex ipsis *Ewaldi* verbis sententia ejus everti posse videtur. Namque in notâ ad locum citatum contra *Hermannum*, iambum ex trochaeo derivantem, in hunc modum disputat: „nec apparet, cur numeri leges, ut thesis arsin praecedat, non admittant. Syllaba una, sola posita, neque brevis, neque longa est; ex opposito demum aequilibrio aut arsis aut thesis habetur. Ut igitur syllaba prima, si ictu insignitur, eo ipso sequentem thesin postulat, sic eadem syllaba celerius pronuntiata arsin sequentem indicat. Utque ⏑́⏑ cogitari potest, sic eodem jure ⏑⏑́." Quamvis libenter concedamus, verissima esse, quae hoc loco disputantur, tamen etiam, si locum invertas, verissimus videbitur. Quare contendimus, non adparere, cur numeri leges, ut arsis thesin praecedat, non admittant. Ut igitur syllaba prima, si deprimatur, eo ipso sequentem arsin postulat, sic eadem syllaba, ictu insignita, thesin sequentem indicat. Utque ⏑⏑́ cogitari potest, sic eodem jure ⏑́⏑. Quod denique ad comprobandam sententiam suam *Ewaldus* de poëseos Arabicae ingenio dicit, videlicet non sedato eam incedere gradu, sed incitatiori ferri affectu, eamque ob causam trochaeum dactylumque respuere, quippe qui pedes leniori sedatoque orationis progressui conveniant, id in universum omnino concedendum est; neque tamen inde sequitur, trochaeos ceterosque, qui ab his derivantur, pedes ex Arabum carminibus exulare. Namque et *Pindarus*, princeps ille lyricorum Graecorum, ad quos Arabum poëtas proxime accedere *Ewaldus* censet, et *Pindarus*, inquam, licet magno et affectuum et elocutionis impetu feratur, tamen haud raro versibus trochaicis utitur.

§. CXXXIX.

Junctis in seriem pluribus pedibus versus constituitur, eaque lex, quam in jungendis disponendisque pedibus poëtae sequuntur,

metrum adpellatur. Arabum metrici sedecim numerant metra, quorum tamen aliqua rarius, nonnulla etiam nunquam omnino adhibentur. Metrorum illorum nomina atque schemata haec sunt:

I. طويل *Tawil*, *longum*; constat ex *bacchio* et *epitrito primo*, quater alternatim repetitis in hunc modum:

⏑ – – | ⏑ – – – | ⏑ – – | ⏑ – – –
⏑ – – | ⏑ – – – | ⏑ – – | ⏑ – – –

Haud raro epitriti loco in quartâ et octavâ sede diiambus, bacchii loco amphibrachys adhibetur. Interdum in primâ sede etiam spondeus et in octavâ bacchius invenitur. Hoc metro frequentissime usi sunt Arabum poëtae; in his *Tarafa*, *Amrulkais* et *Zohair*, in carminibus *Moallakarum* nomine insignitis. In *Hamasâ* quingenta circiter carmina, in *Motanabbii Diwano* quadraginta hoc metro composita reperiuntur [115]). Recentiores Arabum poëtae metri hujusce pedes nonnunquam inverso adhibent ordine, ita ut epitritus bacchium praecedat; unde nova quaedam metri species oritur, cui propter similitudinem, quam cum metro Tawil habet, nomen مستطيل, *Mostatil*, *prolongata*, inditum [116]).

II. مديد *Madid*, *extensum*; constat ex *epitrito secundo* et *amphimacro*, quater alternatim repetitis in hunc modum:

– ⏑ – – | – ⏑ – | – ⏑ – – | – ⏑ –
– ⏑ – – | – ⏑ – | – ⏑ – – | – ⏑ –

Vix tamen schema hocce integrum carminibus expressum habetur; nam quae metrum hoc sequuntur carmina, non-

---

115) Vide Freytagii Metricam Arabicam p. 15; Bohlenii Commentat. de Motanabbio p. 96.

116) Ne longius rem protrahamus, exemplis, singula metrorum genera illustrantibus, supersedebimus; quod si quis ea desideraverit, adeat laudatos jam Clerici et Freytagii de arte metricâ Arabum libros, quorum maxime posterior magnâ exemplorum copiâ sese commendat.

nisi senis constant pedibus, secundo et quinto amphimacris, reliquis epitritis, hoc modo:

– ◡ – – | – ◡ – | – ◡ – –
– ◡ – – | – ◡ – | – ◡ – –

Nonnunquam in tertiâ et sextâ sede epitriti loco amphimacer vel anapaestus, in sextâ interdum etiam spondeus admittitur. Rarius hoc metro usi sunt poëtae; quippe quod in *Hamasâ* nonnisi ter occurrit. Hujus quoque, sicuti antecedentis, metri pedes inverso nonnunquam ordine recentiores adhibuerunt, ita ut epitritum amphimacer antecedat; quae metri species, quod simillima sit metro مديد, nomine ممتد *Momtadd*, *protensa*, insignitur.

III. بسيط *Basit*, *expansum;* constat ex *epitrito tertio* et *amphimacro*, quater alternatim repetitis in hunc modum:

– – ◡ – | – ◡ – | – – ◡ – | – ◡ –
– – ◡ – | – ◡ – | – – ◡ – | – ◡ –

Haud raro pro epitrito diiambus, pro amphimaero anapaestus admittitur; interdum quartam tantum et octavam sedem anapaestus occupat, octavam nonnunquam et spondeus. Idem metrum saepe contrahitur, ut nonnisi sex pedibus constet, secundo et quinto amphimacris, reliquis epitritis, hoc modo:

– – ◡ – | – ◡ – | – – ◡ –
– – ◡ – | – ◡ – | – – ◡ –

in quo trimetro tertiam et sextam sedem interdum molossus vel bacchius, sextam etiam diiambus aut choriambus occupat. Metrum Basit frequentius occurrit, quippe quod in *Hamasâ* septem et octoginta, in *Motanabbii Diwano* viginti carmina referunt.

IV. وافر *Wafer*, *exuberans*, *copiosum;* constat ex *dochimo priori*[117]), sexies repetito, in hunc modum:

---

117) Pedem huncce eo sensu *dochimum priorem* dicimus, quo Jonesius illâ usus est adpellatione; haud enim ignari sumus, anti-

◡ – ◡ ◡ – | ◡ – ◡ ◡ – | ◡ – ◡ ◡ –
◡ – ◡ ◡ – | ◡ – ◡ ◡ – | ◡ – ◡ ◡ –

Interdum primam sedem choriambus, molossus, amphibrachys vel amphimacer occupant, tertiam et sextam saepe bacchius. Haud raro loco dochimi epitritus primus, vel etiam diiambus adhibetur, excepto tertio et sexto loco, quem bacchius sibi vindicat. Haud raro dimetri inveniuntur versiculi, qui in ultimâ sede epitritum primum recipere possunt in hunc modum:

◡ – ◡ ◡ – | ◡ – ◡ ◡ –
◡ – ◡ ◡ – | ◡ – – –

Metro Wafer inter Moallakarum auctores usus est *Amru ben Kelthum*; in *Hamasâ* ter et nonagies, apud *Motanabbium* vicies habetur.

V. كامل *Kamel*, *perfectum*; constat dochimo secundo, quater sexiesve repetito, in hunc modum:

◡ ◡ – ◡ – | ◡ ◡ – ◡ – | ◡ ◡ – ◡ –
◡ ◡ – ◡ – | ◡ ◡ – ◡ – | ◡ ◡ – ◡ –

Versus trimetri tertio et sexto loco etiam anapaestum, quarto epitritum tertium, sexto ionicum minorem, spondeum et molossum recipiunt; bimetri in ultimâ sede ionicum minorem, vel epitritum tertium, diiambum, choriambum admittunt, additâ tribus hisce pedibus syllabâ longâ redundante. Metro Kamel inter Moallakarum auctores usi sunt *Antara* et *Lebid*; in *Hamasâ* quater et nonagies, apud *Motanabbium* vicies occurrit.

VI. هزج, *Hezedsch*, *lyricum*, *cantilena*; constat ex epitrito primo, quater sexiesve repetito, in hunc modum:

◡ – – – | ◡ – – –
◡ – – – | ◡ – – –

---

quorum dochimum ex bacchio et iambo, vel iambo et amphimacro compositum esse. Vide Jonesii Poëseos Asiaticae Commentarios, p. 28.

Versus trimetri minus usitati; in dimetris primam sedem interdum molossus, amphimacer, antibacchius, ultimam bacchius, primam et tertiam diiambus, omnesque praeter ultimam antispastus, occupat. Rarius hoc metro Arabes usi sunt, saepius Persae; in *Hamasâ* nonnisi bis offenditur.

VII. رجز, *Radschaz, tremulum;* constat ex epitrito tertio, sexies repetito, in hunc modum:

– – ⏑ – | – – ⏑ – | – – ⏑ –
– – ⏑ – | – – ⏑ – | – – ⏑ –

Haud raro ultimo loco bacchius vel molossus admittuntur; interdum omnes epitriti in choriambos vel etiam diiambos mutantur. Praeter trimetros etiam dimetri, quin imo trium duorumve tantum pedum occurrunt versiculi. In *Hamasâ* decem et novem carmina metro Radschaz composita inveniuntur.

VIII. رمل, *Ramal, breve;* constat ex epitrito secundo, sexies repetito, in hunc modum:

– ⏑ – – | – ⏑ – – | – ⏑ – –
– ⏑ – – | – ⏑ – – | – ⏑ – –

Metrum hocce est inconstantissimum: tertiae sextaeque sedis pedes haud raro catalectici; secundae et quintae paeones tertii; interdum omnes pedes, praeter tertium, in dichoreos, vel ionicos minores mutantur; si in dichoreos, tertius pes erit amphimacer, si in ionicos minores, anapaestus. Habentur etiam dimetri versiculi, tum acatalectici, tum catalectici, qui in ultimâ sede nonnunquam ionicum minorem admittunt. Metrum Ramal tria tantum *Hamasae* referunt carmina.

IX. سريع, *Sari', velox;* constat ex epitrito tertio, quater repetito, duplicique epitrito quarto, in hunc modum:

– – ⏑ – | – – ⏑ – | – – – ⏑
– – ⏑ – | – – ⏑ – | – – – ⏑

Saepius loco epitriti quarti in tertiâ et sextâ sede amphimacer, imo etiam anapaestus, et in sextâ sede spondeus admittitur. Haud raro epitriti tertii locum diiambi, choriambi, vel paeones quarti occupant. Interdum posteriores tres pedes resecantur, adsumto in tertium locum molosso. Metro Sari' sedecim carmina in *Hamasâ*, viginti vero in *Motanabbii Diwano* composita sunt.

X. منسرح, *Monsareh, emissum;* constat ex epitrito tertio, quater repetito, intermixtis duobus epitritis quartis, in hunc modum:

– – ⏑ – | – – – ⏑ | – – ⏑ –
– – ⏑ – | – – – ⏑ | – – ⏑ –

Haud raro epitriti tertii in choriambos, vel diiambos, et epitriti quarti in dichoreos, antispastos, paeonesque tertios mutantur; nonnunquam locum sextum molossus occupat. Huc refertur et brevissimum illud metri genus, duobus duntaxat pedibus, epitrito tertio et molosso compositum, hoc modo:

– – ⏑ – | – – –

Metrum Monsareh rarius occurrit; in *Hamasâ* novem carmina, ad ejus normam composita, habentur.

XI. خفيف, *Chafif, leve;* constat ex epitrito secundo, quater repetito, intermixtis duobus epitritis tertiis, in hunc modum:

– ⏑ – – | – – ⏑ – | – ⏑ – –
– ⏑ – – | – – ⏑ – | – ⏑ – –

Uterque epitritus variis obnoxius mutationibus: secundus in dichoreum, ionicum minorem paeonemque tertium, tertius in diiambum ionicumque majorem mutatur. In tertiâ sextâque sede epitriti secundi locum haud raro amphimacer vel anapaestus occupat. Praeter trimetros etiam dimetri occurrunt versiculi, duobus epitritis secundis tertiisque compositi, ultimo loco nonnunquam bacchium admittentes. Metro Chafif inter Moallakarum auctores usus est *Hareth*; in *Hamasâ* sexies tantum offenditur.

XII. مضارع, *Modari'*, *simile;* constat epitrito primo quater repetito, intermistis duobus epitritis secundis, in hunc modum:

⏑ – – – | – ⏑ – – | ⏑ – – –
⏑ – – – | – ⏑ – – | ⏑ – – –

Neque tamen schema hocce carminibus expressum reperitur; nusquam enim trimetri, constanter dimetri tantum occurrunt versiculi. Haud raro epitritus primus in antispastum vel diiambum, secundus in dichoreum mutatur; praeterea primam sedem nonnunquam amphimacer vel antibacchius occupat. Metro hoc rarissime usi sunt Arabum poëtae; in *Hamasâ* nunquam adhibetur.

XIII. مقتضب, *Moktadeb*, *concisum;* constat epitrito quarto tertioque, illo bis, hoc quater repetito, in hunc modum:

– – – ⏑ | – – ⏑ – | – – ⏑ –
– – – ⏑ | – – ⏑ – | – – ⏑ –

Neque tamen trimetri unquam occurrunt versiculi, constanter dimetri, quarto tertioque epitrito bis repetitis. Pro epitrito quarto etiam dichoreus, pro tertio choriambus admittitur; nunnunquam in primâ sede antispastus occurrit. Rarissime et hoc metrum adhibetur.

XIV. مجتثّ, *Modschtath*, *amputatum;* constat epitrito tertio et secundo, illo bis, hoc quater repetito, in hunc modum:

– – ⏑ – | – ⏑ – – | – ⏑ – –
– – ⏑ – | – ⏑ – – | – ⏑ – –

Trimetri versiculi non offenduntur, omnes dimetri, tertio secundoque epitrito bis adhibitis. Epitriti tertii locum haud raro diiambus, ionicus major vel paeon secundus occupat; pro epitrito secundo etiam dichoreus, ionicus minor tertiusque paeon admittitur. Rarius et hoc metro usi sunt poëtae; in *Motanabbii Diwano* bis tantum reperitur.

XV. متقارب, *Motakareb*, *conjunctum;* constat bacchio octies repetito in hunc modum:

⏑ – – | ⏑ – – | ⏑ – – | ⏑ – –
⏑ – – | ⏑ – – | ⏑ – – | ⏑ – –

Pro bacchio saepius amphibrachys adhibetur, excepto ultimo loco; primum locum nonnunquam spondeus, vel trochaeus, quartum iambus occupat. Haud raro catalectici versiculi occurrunt, ita ut ultimam sedem vel iambus, vel syllaba longa obtineat. Praeter tetrametros et trimetri habentur versus, tertio et sexto loco iambum, sexto etiam syllabam longam admittentes. Metrum Motakareb haud infrequens; in *Hamasâ* decies et novies, apud Motanabbium decies occurrit.

XVI. متدارك, *Motadarek*, *consequens*; constat amphimacro octies repetito, in hunc modum:

– ᴗ – | – ᴗ – | – ᴗ – | – ᴗ –
– ᴗ – | – ᴗ – | – ᴗ – | – ᴗ –

Amphimacri locum saepius anapaestus vel spondeus occupat. Sunt et trimetri versiculi, tertio et sexto loco interdum ionicum minorem admittentes. Metrum hocce a celeberrimo illo metricae Arabicae auctore *Chalilo ben Ahmed* non recensetur, feruntque ab *Achfascho* illud repertum fuisse; unde et محدث, *mohdath*, *novum*, nec non غريب, *gharib*, *peregrinum*, dicitur. Antiquioribus Arabum poëtis minus usitatum, apud seriores haud infrequens.

§. CXL.

Recensitis breviter carminum Arabicorum metris, videndum jam, utrum poëtae in adhibendis metris illis certam aliquam legem, a carminum argumento petitam, secuti fuerint. Notissimum est, Graecorum Romanorumque poëtas pro diverso argumento, quod tractandum sibi sumserunt, diversis quoque usos fuisse metris: si fortia heroum facta carmine celebranda erant, hexametro versu utebantur; si tristis aliquis casus lugendus, hexametro atque pentametro junctim; si incitatiores animi adfectus exprimendi, Alcaico, vel alio quodam lyrico metro. Hanc legem Arabum poëtae haud videntur observasse; saepissime enim in

ejusdem argumenti carminibus diversa metra, contra in diverso argumento eadem metra adhibita deprehendes. Sic *Hosainus Asadaeus Mani* obitum metro *Tawil* deflet; eodem metro *Kais ben Alchatim* sanguinis vindictam bellicamque fortitudinem celebrat [117]). Contra *Moallakarum* auctores *Amrulkais* et *Lebid* in eodem argumento tractando diversis metris, ille *Tawilo*, hic *Kamelo*, utuntur. Hanc tamen legem in metrorum usu observatam invenies, ut illa, quae gravitate atque pondere prae ceteris sese commendabant, frequentissime a poëtis adhiberentur; quare usitatissimum omnium *Tawil*; cui proxime accedunt *Kamel*, *Wafer* atque *Basit*.

§. CXLI.

Ad metricam carminum Arabicorum structuram accedunt et *homoeoteleuta*, sive *rhythmi finales*, quibus Arabes ab antiquissimis inde temporibus mirum in modum delectati sunt. Credibile est, Arabum poëtas rhythmum finalem prius adhuc adhibuisse, quam leges metricae inventae essent. Certe in antiquioribus quibusdam carminibus, quae licet vix antiquissima poëseos Arabicae specimina habenda sint, tamen illorum speciem prae se ferunt, justi metri nullum adhuc vestigium, cum tamen rhythmi finales jam praesto sint. Rhythmi finalis quinque genera Arabum metrici statuunt:

I. مترادف, *Motaradef*, *rhythmus continuus*, qui duabus literis quiescentibus [118]) constituitur; exemplum habes in hocce *Hamasae* versiculo:

من آينا تضحك ذات الحجلين

ابدلها الله بلون لونين ۞

117) Excerpta Hamasae p. 554, 486.

118) Literarum quiescentium nomine hoc loco non tantum ا, و et ى, verum etiam reliquas consonas, ubi vocalibus destitutae fuerint, comprehendimus.

Quem nostrum ridet duplici compede ornata?
Substituat ei Deus pro uno colore duplicem.

Rarius rhythmus hicce offenditur; aegerrime enim lingua Arabica literarum quiescentium concursum patitur.

II. متواتر, *Motawater, alternatus;* efficitur literâ unâ inter binas quiescentes motâ; ut videre est in sequentibus *Amrui ben Maadi Karib* versibus:

لَيسَ الجَمالُ بِمِئزَرٍ فاعلم وان رُدِّيتَ بُرْدَا

اِنَّ الجَمالَ مَعادِنٌ ومَناقِبٌ اَوْرَثْنَ مَجْدَا

Non (consistit) decus in cingulo, scito id, utque indutus sis striatâ veste;

Utique decus venae nobiles virtutesque, quae haereditatem relinquunt gloriam.

nec non in *Koraiti* carmine in limine Excerptorum ex *Hamasâ*, cujus versiculi huncce referunt rhythmum, e. g. شَيْبَانَا , لَانَا — وُحْدَانَا , بُرْهَانَا etc.

III. متدارك, *Motadarek, consequens;* efficitur literis duabus inter binas quiescentes motis; exempla praesto sunt in *Saadi ben Nascheb, Hosainique Asadaei* carminibus, in *Hamasâ* obviis. *Saadi* duo priores versiculi hunc exhibent rhythmum: جَالِبَا , حَاجِبَا; *Hosaini* vero مُرْبِعَا , مَضْجَعَا.

IV. متراكب, *Motarakeb, confertus;* efficitur literis tribus inter binas quiescentes motis, ut videre est in *Salemi ben Wabesah* carmine in *Excerptis Hamasae*, cujus duo priores versiculi hunc referunt rhythmum: بِلَا جَلَمٍ , مِنْ قَدَمٍ

Notandum hoc loco, vocales Fatha, Kesra et Dhamma in fine vocabuli perinde haberi, ac si literae quiescentes ا , و , ى sequerentur. Quare in rhythmo بِلَا جَلَمٍ , مِنْ قَدَمٍ addito in fine ى omnino tres literae motae inter binas quiescentes habentur.

V. متكاوس, *Motakawês*, *densus;* constat literis quatuor inter binas quiescentes motis. Postremum hocce rhythmi genus rarissime occurrit; rarius et quartum, sed frequentissime secundum et tertium.

Quae hactenus ex Arabum sententiâ de rhythmo notavimus, si quis brevius simpliciusque velit exprimere, *rhythmum finalem vel syllabâ unâ, vel duabus, tribus quatuorve constare* dixerit. Tenendum autem, Arabum poëtas non, sicuti nostrates, diversis in eodem carmine uti homoeoteleutis, verum ab initio ad finem uni constanter inhaerere rhythmo, quod in tantâ linguae Arabicae ubertate facillime fieri potest. Quare et litera illa, cui ceu fundamento rhythmus innititur, Arabibus روىّ dicta, integrum per carmen eadem sit, necesse est. Ab hac literâ carmina Arabica saepius nomen suum trahunt, sicuti notissimum illud *Tograi* poëma, quod *Lamicum,* لاميّة, dicitur, quia literae Lam carminis rhythmus innititur, ut videre est in hisce carminis illius homoeoteleutis: خَطَلِ, عَطَلِ, طَفَلِ etc. Ceterum rhythmus vel in cujusvis hemistichii, vel, quod multo frequentius, in integri demum versûs fine locum habet. Antiquissimis temporibus, quibus Arabum res metrica vel nondum inventa, vel minus adhuc exculta fuit, singuli stichi, sive versiculi, qui seriorum carminum hemistichia longitudine non superabant, in rhythmum desinebant, ut videre est in *Satihi* responso, quod *Abdulmasiho* reddidit sciscitanti de rebus mirabilibus, quae eâ nocte, quâ *Mohammed* natus fuit, evenerant, in hunc modum:

عبد المسيح
على جمل مسيح
اتى الى سطيح
وقد اوفى على الضريح
بعثك ملك بنى ساسان

لارتجاس الايوان
وخمود النيران
ورويا الموبذان

Abdulmasih
Vectus camelo glabro
Venit ad Satihum,
Cum is pervenerit ad sepulcrum.
Misit te rex Sasanidarum
Propter concussionem palatii,
Et exstinctionem ignis (sacri)
Et visionem Mubedani etc. [119]).

Postquam serius, inventâ et excultâ metricâ arte, versus longiores ad artis illius leges componerentur, singulique versus in duo hemistichia distribuerentur, haud necessarium visum fuit, utrique hemistichio rhythmum finalem addi; rarius igitur exinde in priori hemistichio, constanter vero in posteriori adhibitus fuit. Recentiores tamen poëtae, sicuti in metrorum, sic etiam in rhythmi finalis usu haud raro a veterum consuetudine recesserunt. Neque enim, quod veteres solent, uni tantum rhythmo per integrum carmen inhaerent; neque in posteriori duntaxat hemistichio, verum saepius etiam in priori rhythmum finalem adhibent. Dividunt nempe carmina sua haud raro in strophas, quatuor, vel plura etiam hemistichia, quae omnia in eundem desinunt rhythmum, continentes. Singulae strophae peculiarem rhythmum referentes, singulis distinguuntur hemistichiis, quibus integrum per carmen unus idemque rhythmus. Interdum strophae illae geminum re-

119) Abulfeda de vitâ et rebus gestis Mohammedis, ex edit. Gagnieri p. 4. — Etsi carmen laudatum nequaquam antiquissimis poëseos Arabicae speciminibus accensendum sit, tamen antiquissimorum illorum carminum formam prae se ferre videtur.

ferunt rhythmum, ita quidem, ut et priora et posteriora hemistichia peculiarem suum habeant rhythmum. Exempla vide sis in *Freytagii* libro de arte metricâ Arabum, p. 404—465.

§. CXLII.

Praeter metricam structuram rhythmumque quam plurima adhuc Arabum poëtae in carminibus pangendis adhibent artificia. Rarius tamen ab antiquioribus id fieri assolet, saepissime vero a recentioribus, qui spiritus poëtici defectum artificio compensare studebant. Inter artificia illa poëtica referenda primo *agnominatio*, sive *paronomasia*. Hoc artificio vix ullus poëtarum Arabicorum frequentius usus est, quam *Hariri*, cujus quinquaginta consessus immensam paronomasiarum copiam exhibent. E sexcentis exemplis unum tantum proferre libet, quod consessu quarto habetur: انزّل سميرى منزلة اميرى واحلّ انيسى محلّ رئيسى واودع معارفى عوارفى واولى مُرافقى مَرافقى والين مقالى للقالى واديم تسألى عن السالى i. e. colloco nocturnum confabulatorem meum in gradu principis mei, reputo familiarem meum loco ducis mei, depono apud notos meos beneficia mea, exhibeo socio meo opem meam, mollio sermonem meum osori meo, et frequenter quaero de eo, qui mei securus est etc. Etsi *Hariri* in solutâ maxime oratione paronomasiis utatur, tamen et in carminibus haud raro easdem adhibet, ut videre est in hisce quinti consessûs versiculis:

يا اهل ذا المغنى وقيتم شرّا
ولا لقيتم ما بقيتم ضرّا ✿

O familia, domum hanc colens, prohibeamini mala,
Neque incurratis, quoad superstites eritis, noxam.

Verum et aliis poëtis paronomasiae usitatissimae sunt; sic *Motanabbio*, cujus sequens versiculus:

فالخيل والليل والبيداء تعرفنى
والحرب والضرب والقرطاس والقلم ✿

Equi, nox et deserta me noverunt,
Et bellum, percussio, charta calamusque.

Sicuti paronomasiis, ita etiam ceteris verborum lusibus Arabum poëtae delectantur; exemplo sit ejusdem *Motanabbii* versiculus, quo carminum suorum laudes praedicans, iisdem vocabulis hunc in modum ludit:

فشرّق حتّى ليس للشرق مشرق
وغرّب حتّى ليس للغرب مغرب ✿

Attingent orientem (extremum), ubi soli non est ortus,
Attingent occidentem (extremum), ubi soli non est occasus.

Frequentissimi verborum lusus et in celeberrimo illo *Tantaranii* occurrunt poëmate, quod clariss. *de Sacy* in Chrestom. Arab. edit. I, P. I, p. 365—370 exhibuit; en speciminis loco primum poëmatis illius versiculum, in quo similia vocabula diversae significationis componuntur:

يا خلّى البال قد بلبلت بالبلبال بال
بالنوى زلزلتنى والعقل فى الزلزال زال ✿

O tu, cujus animus curis vacuus, conturbasti turbatione animum meum,
Absentiâ tuâ me concussisti, et mens mea in concussione me defecit.

Saepius et eorundem verborum diversâ significatione luditur, ut in hisce versiculis:

نديمتى جارية ساقيه
ونزهتى ساقية جاريه
جارية اعينها جنّة
وجنّة اعينها جاريه ✿

Sodalis mea puella, poculi ministra,
Et oblectamentum meum rivus profluus,

Puella, cujus oculi hortus,
Et hortus, cujus fontes proflui.

In hisce versiculis vocabula جارية, ساقية, عين duplicem admittunt significationem; namque جارية modo puellam, modo fluenta, ساقية nunc poculi ministram, nunc rivum irriguum, عين denique hic oculum, illic fontem denotat [120]).

§. CXLIII.

Sed haec leviora videntur; multo adhuc difficiliores nugas Arabum poëtae moliti sunt. Inveniuntur enim versus, in quibus nullae literae punctis diacriticis notatae occurrunt; exempla obviam sunt in *Haririi* consessu XLVI, ubi decem hujuscemodi versiculi habentur, quorum priorem adponere libet:

اعدد لحسّادك حدّ السلاح
واورد الآمل ورد السماح ☆

Para osoribus tuis aciem gladii,
Et deduc sperantem ad aquationem munificentiae.

Sunt et versiculi, quorum singulae voces alternatim punctis diacriticis insignitae atque destitutae sunt; cujus generis in laudato jam *Haririi* consessu quinque versus habentur in hunc modum:

اسمح فبثّ السماح زين
ولا تخب آملا تضيّف ☆

Beneficus esto; namque status beneficentiae ornamentum,
Neque frustrare sperantem, qui hospes ad te devertit.

Neque desunt, qui omnes literas, punctis diacriticis notatas, referunt; cujus generis versus *Chalilo*, artis metricae auctori, debetur:

صف خلق خود كمثل الشمس اذ بزغت
يحظى الضجيع بها نجلاء معطار ☆

---

120) Habentur versiculi illi in *Sojutii* de arte poëtica opere, quod inscribitur جنى الجناس, unde illos depromsit Casirius in Biblioth. Arab. t. I, p. 83.

Describe indolem puellae formosae: similis est soli orienti,
Beatur tori consors per eam, patentibus praedita est oculis,
odoribusque perfusa.

Alii denique versiculi nonnisi literis puncto diacritico insignitis constant; alii alternatim literas punctis diacriticis insignitas atque destitutas exhibent; alii nonnisi ex iis literis compositi sunt, quae in scribendo conjungi solent; alii dissociabiles tantum referunt literas etc.; quarum nugarum piget exempla in medium proferre. Quod si quis ea desideraverit, adeat *Haririi* consessus XXVI, XLVI, nec non *Freytagii* librum de Arabum arte metricâ p. 388—392.

§. CXLIV.

Praeter memoratas jam nugas quam plurima alia in seriori Arabum poësi deprehenduntur artificia. Habentur enim illic versiculi, qui, sive a dextrâ ad sinistram, sive a sinistrâ ad dextram legantur, eadem verba, eundemque sensum referunt; exemplum habes in *Haririi* consessu XVI in hunc modum:

اسر اذا هبّ مرا وارم به اذا رسا
اسكن تقوّ فعسى يسعف وقت نكسا ۞

Remove, ubi excitata fuerit, dissimulationem, et rejice eam,
ubi stabilis evaserit.
Quietus firmusque esto, fortasse favebit tibi tempus immutatum.

Neque desunt versiculi, qui transversum deorsumque eâdem ratione absque ullâ immutatione legi possunt; ut videre est in sequenti specimine:

ليت شعرى لك علم من سقامى يا شفاءى
لك علم من زفيرى ونحولى وضناءى
من سقامى ونحولى داونى اذ انت داءى
يا شفاءى وضناءى انت داءى ودواءى ۞

Utinam nossem, cognitum tibi esse morbum meum, o remedium meum!

Cognitus tibi gemitus meus, macies atque aegritudo mea.
A morbo macieque meâ restitue me, siquidem tu es morbus meus;
O remedium meum atque aegritudo mea, tu morbus meus, remediumque meum.

Alii denique versiculi prioris hemistichii verba in posteriori repetunt, sed inverso ordine, neque tamen mutato sensu, in hunc modum:

صل ذوى الارحام واعرف حقّهم
حقّهم واعرف ذوى الارحام صل ✿

Benefac propinquis, et agnosce jura eorum;
Jura eorum agnosce, propinquis benefac.

Sed longum esset, omnes illas recensere nugas, quibus seriores Arabum poëtae operam navarunt. Neque omnino necessarium videtur, minutiis hisce ulterius immorari; siquidem ex iis, quae hactenus disputata sunt, externa carminum Arabicorum forma sufficienter, ni fallimur, adparebit.

Cap. III.

Comparatio.

§. CXLV.

Expositâ in hunc modum externâ poëseos Hebraicae atque Arabicae formâ, restat, ut ostendamus, quantum hac ex parte inter utramque obtineat discriminis, quantumque inter se consentiant. Externam utriusque poëseos si respicias formam, haud exiguam deprehendes discrimen. Namque, quod primum est, *carmina Arabica justorum metrorum legibus adstricta sunt; contra Hebraeorum poësis liberiori fertur rhythmo;* non pedum numero, non syllabarum quantitate circumscripto. Quae cum ita sint, Arabum poësis propius ad cultiorum populorum, Graecorum Romanorumque artificiosam accedit poësin; Hebraeorum vero

poësis magis liberum illud hominum orientalium, naturae inhaerentium, ingenium refert. Quaesiveris, num artificiosa illa carminum structura Arabicae poësi plus addiderit dignitatis, quam Hebraicae liberior ille, justique metri legibus haud obnoxius numerus? Fatendum omnino, certam longarum breviumque syllabarum vicem numerumque et legenti et audienti gratissimum esse, multumque inde venustatis atque dignitatis orationi poëticae posse accedere. Sed concedendum etiam, arctioribus illis legibus metricis haud raro poëtam impediri, quo minus animi sensus convenientissimis verbis exprimat; siquidem non id tantum spectandum, ut verba rebus exprimendis, verum etiam ut metri praescripti legibus conveniant. Quod si igitur vel metro minus impedito utaris, vel minus serviliter legibus metricis inhaereas, ita ut animi sensus commode, neque detortis aut verbis, aut sententiis possis exprimere, metrica carminum structura orationi poëticae non tantum non officiet, verum etiam haud exiguo erit ornamento. Quod quidem de antiquioribus Arabum poëtis haud immerito praedicaveris; quippe qui neque impeditis adeo metris utuntur, neque adeo serviliter iisdem inhaerent, ut animi sensus, in tantâ praesertim linguae Arabicae ubertate, non commode atque convenienter possint exprimere. Recentiores contra Arabum poëtae et arctius legibus metricis inhaerent, et, praeter metrorum vincula, multis aliis artificiis sese impediunt; quo fit, ut haud parum detrimenti oratio poëtica inde patiatur. Quare ita statuendum, metricam carminum structuram, quatenus orationi poëticae non offecerit, Arabum poësi omnino plus venustatis atque dignitatis addidisse, quam Hebraeorum poësi a liberiori illo, justique metri legibus haud obnoxio numero accedere unquam potuit. Neque tamen metrorum Arabicorum venustas atque dignitas pro nostro sensu aestimanda est. Vix enim fieri potest, quin nobis, quorum aures inde a pueritiâ Graecorum Romanorumque metris adsuetae sunt, Arabum metra minus grata videantur; quod certe secus se haberet, si a pue-

ris, sicuti Graecâ atque Romanâ, ita Arabicâ quoque poësi imbueremur.

§. CXLVI.

Praeter metricam carminum structuram Arabum poësis ab Hebraicâ et *rhythmo finali* differt, quem illa constanter admittit, haec vero vel omnino respuit, vel parum curat. Haud quidem desunt exempla, e quibus colligi possit, et Hebraeorum poëtas rhythmi finalis aliquam habuisse rationem; verum cum nullum omnino supersit poëseos Hebraicae specimen, quod constanter certâque lege rhythmum finalem referat, rectius statuas, rhythmum illum, sicubi in carminibus Hebraicis occurrit, casui potius, quam poëtae consilio tribuendum esse. Neque lingua Hebraica formandis rhythmis apta adeo fuit, quam Arabica, quae tantâ vocalium, tantâ formarum eundem in modum desinentium, tantâ denique similium vocabulorum abundat copiâ, quantâ vix ulla linguarum in orientis vel occidentis oris vigentium. Hac linguae Arabicae naturâ fieri haud potuit, quin ii, qui ornatius dicere vellent, ultro fere ad rhythmos deferrentur; unde evenit, ut non tantum in carminibus, verum etiam in solutâ oratione, quoties ea altius insurgeret, rhythmus adhiberetur.

§. CXLVII.

Ut metricâ carminum structurâ rhythmoque finali Arabum poësis ab Hebraicâ differt, ita *paronomasiarum usu*, *verborumque lusibus* cum eâ consentit. Utriusque gentis poëtae, maxime vero recentiores, et paronomasiis, et verborum lusibus apprime delectantur. Verum et in harum figurarum usu adparet, quantum et lingua Arabica Hebraicam similium vocabulorum copiâ, et poëtae Arabes Hebraeos artificio superent. Namque in Hebraeorum carminibus paronomasiae verborumque lusus nonnisi passim inveniuntur; at vero adeas *Haririum Arabsiaden*que, quanta figurarum illarum apud utrumque auctorem copia! Tanta profecto, ut incertus

haereas, utrum linguae Arabicae immensas divitias, an auctorum illorum artificium magis mireris. Neque tamen existimandum, frequentibus illis paronomasiis verborumque lusibus orationis poëticae dignitatem semper augeri; contra nimio talium ornamentorum studio quam saepissime ad ineptias delabuntur poëtae, orationemque adfectatam contortamque reddunt. Quare, licet in his similibusque rebus poëtarum Arabicorum artificium, linguaeque Arabicae divitias miremur, tamen Hebraeorum poëtas nequaquam reprehendendos, quinimo laudandos censemus, quod parcius quam Arabes paronomasias verborumque lusus adhibuerint.

§. CXLVIII.

Quod praeterea in quibusdam Hebraeorum carminibus cernitur artificium, nempe quod *singuli vel versus, vel strophae literis primoribus alphabeti ordinem repraesentent*, id et Arabum poëtis haud incognitum insolitumque est. Solent autem Arabes maxime sententias proverbiales, quae in diverso parumque cohaerente argumento versantur, secundum alphabeti seriem disponere, eo quidem consilio, ut, quibus desit internus nexus, saltem externo quodam vinculo inter se conjungantur. Sic in amplâ illâ proverbiorum Arabicorum collectione, quae *Meidanio* debetur, omnes, quae eâdem literâ incipiunt, sententiae compositae et secundum alphabeti ordinem dispositae habentur. Hinc fortasse colligas, et Hebraeorum poëtas alphabeticâ illâ carminum quorundam dispositione nil aliud spectasse, nisi ut sententiae, quarum argumentum parum cohaereret, saltem externo aliquo vinculo connecterentur. Verum diversa aliquanto carminum illorum videtur ratio. Non enim diversi argumenti sententias continent, sed eas, quae ad eandem omnes materiam referuntur; quibus igitur externum illud alphabetici ordinis vinculum facile deesse potuit. Contra in *Proverbiorum* libro et in *Ecclesiaste* haud raro diversissimi argumenti sententias compositas, neque tamen ordine

alphabetico dispositas invenies. Quare quod jam superius monitum fuit, alphabeticae illi carminum quorundam Hebraicorum dispositioni vix aliud auctoris consilium, quam ostentandi artificii, subesse videtur [121].

§. CXLIX.

Quod denique ad *difficiliores illas poëtarum Arabicorum nugas* adtinet, artificiosissimos videlicet versiculos, qui sinistrorsum, dextrorsum, transversum deorsumque eodem modo legi possunt, eorum similiumque artificiorum nullum in carminibus Hebraicis vestigium. Num Hebraeorum poëtae ad illas nugas omnino nunquam descenderint, in tantâ rei Hebraeorum literariae jacturâ haud facile definias. Quod si tamen reputes, Hebraeorum poësin in universum nunquam artificiosam illam formam induisse, quam Arabica sibi vindicat, quod si reputes, linguam ipsam Hebraeorum ejusmodi artificiis minus aptam videri, haud temere statuas, Hebraeorum poëtas a difficilioribus illis nugis omnino abhorruisse.

§. CL.

Haec fere sunt, quae de poëseos Hebraicae et Arabicae origine, indole, mutuoque consensu atque discrimine merito statui posse videbantur. Utinam contigerit nobis, verum rectumque in omnibus perspexisse! Quod etsi nequaquam nobis adrogemus, speramus tamen, veri rectique inveniendi studium in opusculo nostro, quantulumcunque id demum sit, vix desideratum iri.

---

121) De alphabeticâ carminum Hebraicorum dispositione vide Ewaldi Commentat. de Hebraeorum poësi, p. 139—164, qui artificii illius causas rectissime tum a *poëseos verae defectu*, tum ab *eruditionis adfectatione* deducit.

Rerum memorabilium

Index.

A.

B.

C.

D.

E.

P.

R.

S.

Emendanda.

Pag. 8, lin. 14, Hebraica, lege: Hebraico. — Ibid. l. 3 ab imo, Fatha. Conj. V. l. Fatha, et Conj. V. — P. 9, l. 2, dele: idem quod حَيَّانِ. — P. 14, l. 13, ܟܒ, l. ܟܒܒ. — P. 15, l. 5, consignentur. „Fuere, l. consignentur.“ Fuere. — P. 19, l. 3, cadunt, l. cedunt. — P. 35, l. 18. Dschodaima, l. Dschadsima. — P. 38, l. 9, convolutum, l. adnexum. — P. 45, l. 5, adnumerarent, l. adnumerent. — P. 65, l. 3 ab imo, ores, l. fores. — P. 67, l. 4 ab imo, consilio, l. consilia. — P. 81, l. ult. illatos, l. illatas. — P. 88, l. 3 ab imo, carmina, l. qui carmina. — P. 90, l. 16, in satyris, l. ita in satyris. — P. 93, l. 7, quarum, l. quorum. — P. 112, l. 4 ab imo, כיריע, l. כיריעה. — P. 117, l. 17, Jes. VIII, 5, l. Jes. VIII, 6. — P. 131, l. 7, auxit, l. unxit. — P. 136, l. 23, mysticam, l. mythicam. — P. 137, l. 2, exuturos, l. exuturas. — P. 142, l. 11, מרחקים, l. מרקחים. — P. 147, l. 3, translatio, l. translationem. — P. 156, l. 15, مسكنه, l. في مساكنه. — Ibid. l. 20, مغلول, l. مفلول. — P. 186, l. ult. Omniaque ejus grana pulvis subtilissimus, l. Granaque ejus Kodhaidae omnes. — P. 218, l. 9, mīmăāl, l. mīmmăāl. — Ibid. l. 13, jĭbāthŭhū, l. jĕbāthŭhū. — P. 241, l. 13, quae, l. qui. — P. 256, l. 19, nunnunquam, l. nonnunquam. — P. 266, l. 6 ab imo, exiguam, l. exiguum.

LIPSIAE, TYPIS GVIL. VOGELII, FILII.



